SAMUELIS PUFENDORFI

De

HABITU RELIGIONIS CHRISTIANÆ AD VITAM CIVILEM,

LIBER SINGULARIS.

Accedunt Animadverſiones ad aliqva loca è Politica ADRIANI HOUTUYN JCti Batavi.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUEL

BREMÆ.
Sumptibus ANTHONII GUNTHERI SCHWERDFEGERI Biliop.
ANNO M DC LXXXVII.

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO PRINCIPI ac DOMINO

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO

MARCHIONI BRANDENBURGENSI,

Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & PRINCIPI ELECTORI, PRUSSIÆ, Magdeburgi, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiorum Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ & Carnoviæ Duci, Burggravio Noribergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, & Camini, Comiti Marcæ & Ravensbergæ, Domino in Ravenſtein, Lauenburg & Buton, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QUæ cura præcipue ſolet exercere eos, queis illuſtrium Virorum nomina

 ſcri-

ſcriptis ſuis publicæ luci exponendis præfigere lubido eſt, ut facti ſui idoneas rationes adducant, importunitatis notæ declinandæ; eandem SERENITATIS TVÆ ELECTORALIS *benignitas in præſens mihi plane ademit. Cum enim honeſtis viris inter ſanctiſſima officia incumbat aliorum præclaro de ſe judicio pari animi promptitudine occurrere, nec deteriorem ſe exhibere, quam iſti ſenſerint; quanto magis laborandum mihi eſt, ne tanti Principis tam luculento expreſſum modo de me judicium parum prompta veneratione æſtimaſſe videar? Sic ut ipſa neceſſitas gratum animum expromendi omni me ſolicitudine abſolvat ſpecioſos colores, aut excuſationes diſpiciendi. Et quia aliqua temporis mora opus eſt, dum dignum* SERENITATE TVA ELECTORALI *cultus mei ſpecimen repræſentem, haut abs re fuerit in anteceſſum qualecunq; documentum devotæ Eidem mentis exhibuiſſe. Quod quidem in*

præ-

præſens haut alind occurrebat , quam hicce, quem nunc in publicum emitto , libellus , cui gratioſa SERENITATIS TVÆ ELECTORALIS *auſpicia accom̃odare pace Tanti Nominis fas mihi duxi. Equidem agnoſco exiguum mole eſſe id opuſculum , atq; omnibus ornamentis deſtitutum , queis eruditi ſplendorem ſuis ſcriptis conciliare , aut quandoq; jejuni maciem argumenti evanido tumore inflare ſueverunt. Enimvero generoſis mortalium non tam doni pretium , quam offerentis animus inſpici ſolet ; ac ſapientibus ſolida rerum æſtimantur, ampullæ verborum, fuciq;, & quicquid eſt adſcititiæ pompæ inter inania habentur , queis non niſi vanæ mentes capiuntur. Eſt autem hujus libelli argumentum , quod ad prima ac ſolida principia revocare conati ſumus , ex eo genere , quod maximi inter populos Chriſtianos uſus habetur , & cujus penitiſſima cognitione imbutos eſſe cumprimis expediebat eos , qui ſummum*

in civitatibus Chriſtianis regimen divinitus ſortiti ſunt. Simul modus tractandi ac demonſtrandi horum captui attemperatus, qvorum vitæ genius, occupationumq́ gravitas ſubtilitates ſcholaſticas adſpernatur; cum præter perſpicua divinarum literarum oracula, non niſi plana com̃unis rationis dictamina, ac ſcientiæ civilis indubia ſcita in teſtimonium excitentur; qvæ non poſſunt non omnibus manifeſta eſſe, qvi vel mediocri notitia rerum humanarum mentem imbuerunt. Cæterum cardo dogmatum, é qvibus Chriſtianorum populorum intrinſeca tranqvillitas, & unio magnam partem dependet, in eo vertitur, utrum Salvatori noſtro, dum viam ad ſalutem æternam perveniendi mortalibus pandit, pariter introducere placuerit poteſtatem quampiam ſacram, qvæ idonea ac ſufficiens ſit conſtituendo certo ſtatui à vulgaribus civitatibus ſeparato; numq́ adeo unio eorum, qveis eadem in Salvatorem fiducia, utiq́ in rem-

pub-

publicam aliquam coaleſcere debeat ab illis civitatibus diſtinctam, quas inſtitui ſecuritas humani generis ſubegit. Si enim Numinis juſſu utiq; ejusmodi Regnum ſacrorum fuit conſtituendum, quale ab iis, qui Epiſcopi Romani ſectam ſequuntur, obtenditur, in quo huic ſoli divinitus commiſſa ſint imperandi arbitria, reliquis omnibus obſequii gloria relicta: nil ſupereſt, quam ut duro quantumvis jugo, quod majores noſtri excuſſerunt, cervices iterum ſubmittamus, ac ſuperbis pedibus oſculandis venerabundi advolvamur. Nec amplius tunc juſtam ſecedendi cauſam præbere poterunt corruptelæ, queis vel dogmata, vel mores temerati ab iſto arguuntur, non magis quam civibus fas eſt obſequium in Principes ſtatim exuere, ubi ab hiſce quædam ſecus quam par erat in republica adminiſtrata adpareant; aut quam liberis conceſſum eſt obligatione ſua

adver-

adverſus moroſos aut paulo diſſolutioris vitæ parentes ſeſe exſolvere. Præſertim ubi illud æterna lege poſitum ſit, ut extra Regni iſtius ſacrorum pomæria nemini ſalute potiri liceat; cum quantocunq; onere mortalibus ſit redimendum, aditu felicitatis ſine fine duraturæ haut excludi. Unde & ratio haut fugit eos, qui præſenti maxime tempore dominatum Epiſcopi Romani propugnant, quod ſepoſita fere diſputatione circa ſingula doctrinæ Chriſtianæ capita Eccleſiæ vocabulum præcipue crepent, idq; ſuæ ſectæ unice competere contendant, reliquis omnibus hæreſeos convitio rebellionis notam impingant. Hoc quippe ſolum ubi pervicerint, totam cauſam obtinuerunt; & ſi qui læſos ſe, aut male habitos putent, iis præter ſupplicare, ac vota fundere nihil eſt relictum. Ad hanc igitur adverſæ partis velut arcem ſubruendam neceſſum eſt ad fundamenta Regni Sacrorum penetrare, & quid ſolidi iſta contineant excutere: quæ ſi commentitia eſſe demonſtratum fuerit, totam quæ ſuperſtructa eſt

molem

molem ultro corruere oportebit. Quam in rem quæ à nobis deducta ſunt, eousq; valere arbitramur, ut niſi ab adverſa parte preſſe ac penitiſſime deſtruantur, quod quam difficile ſit futurum tentando comperient, univerſa gloriatio, qua ſeſe tantopere jactant, in diuturnam uſurpationem, ac per multa ſecula continuatam injuriam reſolvenda ſit, quam vel ſero demum excuſſiſſe egregium fuerit. Simul tot Regum, Principum, ac Rerumpublicarum exiſtimatio in integro erit, quippe qui illegitimum moleſtiſſimumq; in ſe ſuosq; cives dominatum abdicando jus ſuum rite vindicatum ivere; quos hactenus ſedis Romanæ adulatores proterve inſultant, velut adverſus divinum inſtitutum refractarios ac rebelles, ac ſe ſuosq; juxta cives in exitium pertrabentes. In quos jam quoq; mercenariorum ſcriptorum impudentia id calumniæ genus ſpargere haut veretur, quaſi prætextum duntaxat iſtis fuerit, à quisquiliis ac ſordibus dogmata, ritusq; ſacros repurgaſſe; cæterum non amore illibatæ

 veri-

veritatis,ſed meris reſpectibus profanis,ac ſæpe cum enormi crimine conjunctis agitatos obſequium Eccleſiæ abrupiſſe, ut ambitioni aut avaritiæ ſuæ materiam invenirent. Quibus latratoribus os obturare ſane par eſt,demonſtrato Principes Proteſtantes,& quorum miniſterio iſti hoc in negotio uſi fuerunt, piis, honeſtis,ac neceſſariis cauſis motos extranei Præſulis importuna imperia excuſſiſſe, & quæ per iſtum inventa aut fota fuerat labem correxiſſe aut aboleviſſe. Atq; ea de re ipſos Principes ſolide ac modo plano perſpicuoq; edoctos eſſe decet,quo conſcientiis ſuis adprobare queant, à majoribus ſuis jure emendata à ſe recte defendi; neve artibus ac illecebris adverſæ partis plusquã meretriciis iterũ ſe in caſſes pellici patiantur. Sed & cumprimis Principum intereſt noſſe, quibus finibus Eccleſia à Republica diſcernatur, & quid quantumq; poteſtatis ſibi in Eccleſiã & ſacra jure competat. Nam ſi verum fateri citra invidiam li-

ceat, limites iſtos ab eruditis hactenus haut ita accurate rectos in aprico eſt inſcitia rerum, aut veritate ob reſpectus humanos tenebris ultro involuta. Aliis quippe Eccleſia in civitate velut peculiaris, ſeparatus ac independens ſtatus collocatur; quo ipſo Principibus tanquam civitatis capitibus omnis circa ſacra diſpoſitio abjudicatur, niſi quod ſententiarũ à tribunalibus ſacris latarum executionem, ſævitiæq́ſacerdotalis apparituram; adeoq́ alienæ carnificinæ miniſterium iſtis delegare pudor nullus ſit, de cætero citra ſcrupulum ac prævium ratiociniũ amplexuris, quicquid dogmatũ iſtis propinare libido ferat. Aliis contra perſuaſum fuit, Eccleſiam cum ipſa civitate plane confundi atq́ uniri, poſtquã Principes juxta civesq́ nomina ſua Chriſto dederũt, ſic ut iſtis pari jure circa negotia ſacra, quam civilia diſponere fas ſit. Utrumq́ errorem alius error non minus exitiabilis comitatur; fas eſſe Principibus vel proprio jure, vel ut miniſtris

 ſacri-

ſacrificuli Regis cives etiam erroris haut legitime convictos vi pœnisq; ad ejuranda ſua, amplectenda aliena dogmata compellere, aut eo ſolo nomine ipſos civitate eliminare, adeoq; conſcientiæ eorundem pro lubitu imperare. Quo ipſo Principes, dum falcem in alienam meſſem mittunt, ac poteſtatem ſibi arrogant à DEO haut commiſſam, graviſſimo ſane ſe piaculo adſtringunt; ac dum religionis Chriſtianæ ſtudium jactant, viam inſiſtunt genio ejusdem quam maxime repugnantem. Ac fruſtra heic prætexitur ſacer Zelus, aut amor in cives, qui nullo modo efficacius exprimi queat, quam ſi eos in erronea devios ad ſaniora revocaveris. Quis enim ita cives amare juſſit? aut qvo autore modus iſte veritatem propagandi introductus eſt? Qvi ſi Numini ſapientiſſimo probaretur, longe alia ratio ineunda fuerat ab initio religionem Chriſtianam diſſeminandi; cui non minus in proclivi fuiſſe cenſendū eſt Imperatores Romanos, Regesve Parthorum convertere, eorum q; legionibus ad deſtruenda idola uti, aut

mili-

milite in omnem libidinem ac ſævitiam laxato miſeros cives ad ejurandas, queis innutriti erant, opiniones compellere; quam piſcatores, & ima è plebe homines ad tam glorioſa miniſteria inſtruere. Qui cum non niſi docendo, hortando, monendo à ſuperſtitione & errore ad genuinam pietatem & veritatem genus humanum adduxerint, fas eſt credere ſequentibus quoq; eandem viam inſiſtendam, ac circa religionem procul habendā omnem vim, aut illecebras, aut quicquid hominum mentes alias ad turpia aut inviſa flectere ſolet. Nec ſatis ſibi conſulunt Principes, ſi talia ſola autoritate ſacerdotum, eorumq; periculo patrent. Nam ni ipſi probe inſtructi ſint, recte ſeſe utiq; habere quod agunt, vicariam ſecus actorum culpam ſacerdos hautquidquam ſuſtinebit; ac idem quidem Principi in exitium comes ibit; pœnis hujus hautquidquam ſurrogabitur; eodem ĩmuni. Sed nec qualiscunq; perſuaſio, aut pium propoſitum culpa Principem eximet; cum fieri queat, ut quis quam maximo ſeſe piaculo ob-

 ſtrin-

ſtringat, quando gratiſſimum ſe DEO opus patrare arbitratur. Contra ſaniora edoctis Principibus religio eſt invadere illa, quæ extra ipſorum poteſtatem DEus ſibi ſoli ſepoſuit, cum alias ſat arduum iisdem munus incumbat, quod in ampliſſimæ quantumvis gloriæ materiã patet. Eoq́ſatis habent viribus atq́ opibus civium ad ſalutem Reipublicæ uti, ac circa talia obſequium idoneis pœnis exigere, imperium iñ conſcientias DEO relinquentes, qui pro ſua ſapientia per congrua media animos hominũ ad ultroneũ ac rationabilem ſui cultũ adducere novit. Qui autem jugo Romani Præſulis cervices ſubduxerunt Principes, merito libertatem ac jura ſibi debita in integrum reſtituta gaudent, ac parta ſemel bona deinceps illibata conſervare ſtudent. Ac quo magis de ſuo jure certi ſunt, eo animoſius obviam ire nitentur conatibus eorum, qui Regi ſacrificulo mancipati in par ſecum ſervitium cæteros abſtrahere ardent. Quibus merito meliorem mentem precamur; ſaltem ut ſi ipſis infelici ſer-

ſervitio immori dulce eſt, reliquis ſuam libertatem ne invideant. Enimvero indecorum fuerit exiguo libello verboſiorem præfationem præmittere; ac vel iſta modum excedere videri poterant, niſi utiq; aliquid dicendum fuiſſet in commendationem argumenti, quod cum omnibus Chriſtianis, tum præcipue Proteſtantibus Principibus cordi eſſe debet. Quos inter SERENITAS TVA ELECTORALIS *cum primis effulget non dignitatis ſolum eminentia, ſed vel maxime ſapientia, animi magnitudine, ac rerum geſtarum gloria. Cui ſi exiguum hoc opuſculum in autoramentum devoti mei in Eandem animi benigne ſuſcipere placuerit, magna mihi alacritas accedet arduo operi manum admovendi, qua Ipſe, quantus hoc ſeculum gloria nominis TVI impleviſti, tantus in omnium deinceps temporum memoria verſaberis. Interim DEum O. M. ſupplex in vota voco,*

ut

ut SERENITATEM TVAM ELE CTORALEM *per multos adhuc annos comoda valetudine, omniq́; proſperitate florentem Patriæ Tuæq́; Domus Sublimiſſimæ bono conſervare velit!*

SERENITATIS TUÆ
ELECTORALIS

Holmiæ d. 3. Septembr.
ANNO 1686.

devotiſſimus

SAMUEL PUFENDORF.

DE HABITU RELIGIONIS CHRISTIANÆ AD VITAM CIVILEM.

EPITOME.

ARgumenti nobilitas. 1. De Religione ante civitates. 2. Cuiq; homini officium erga Deum per ſe exercendum. 3. Id quomodo ſe habeat in naturali libertate. 4. Cura pro alterius religione originariè fuit penes parentes. 5. Civitates non ſunt inſtitutæ propter religionem. 6. Cives non ſubmiſerunt ſuam voluntatem voluntati ſummarum poteſtatum circa ſacra. 7. Quid naturaliter ſummis imperantibus poteſtatis circa ſacra competat. 8. De indole Religionis reve-

latæ. 9. Religio Judaica ſtatui fuit innexa. 10. Poteſtas circa ſacra in Rep. Judaica penes quem? 11. Religionis Chriſtianæ genius diverſus à Judaica. 12. Qualem ſe Moſes geſſerit conditor ſtatus Iudaici? 13. Qualem contra Chriſtus ſe geſſerit Eccleſiæ conditor? 14. Chriſtus non fecit novum populum. 15. Chriſtus nihil habuit territorii. 16. Chriſtus non geſſit perſonam Principis; 17. Sed Doctoris. 18. Apoſtoli fuerunt propagatores doctrinæ à Chriſto traditæ. 19. Apoſtolis poteſtas docendi divinitus eſt collata, ab imperio humano haud dependens. 20. Apoſtoli nihil exercuerunt imperii. 21. An indirectè munus docendi habeat vim imperii? 22. An Claves præbeant legitimam cauſam ſtruendo imperio? Quid notetur per Claves? 23. Quid ſit remittere peccata? 24. Cujus vice Apoſtoli peccata remiſerint? 25. Quomodo ſe habuerit illa facultas remittendi peccata? 26. An Petro aliquà heic prærogativa conceſſa? 27. An excommunicationi inſit vis imperii? 28. Apoſtolorum inſtructio nihil

ſa-

ſapit Imperii. 29. Regnum Chriſti non involvit Imperium humanum. 30. Num Eccleſia ſit ſtatus? Quid in Scripturis notet Eccleſiæ vocabulũ? Quæ actiones Eccleſiæ in Sacris Literis tribuantur? 31. Primitivæ Eccleſiæ non potuerunt eſſe ſtatus. 32. Dverſa eſt ſtructura interna Eccleſiæ atq; ſtatus. 33. Doctores Eccleſiæ multum differunt ab imperantibus civilibus. 34. Num Eccleſia univerſalis ſit ſtatus? 35. Eſt inutile omnes Chriſtianos in unum ſtatum coaleſcere. 36. An in Eccleſia opus ſit judice controverſiarum? 37. Exemplum controverſiæ Apoſtolorum tempore compoſitæ. 38. De natura & uſu Conciliorum quædam obſervationes. 39. Quæ natura fuerit Eccleſiarum ſub imperio infidelium? 40. De conditione Eccleſiæ ſub Chriſtianorum ſummo Imperio. 41. Eccleſiæ ideo] non exuunt naturam collegii. 42. Reges ideo non fiunt Epiſcopi. 43. De obligatione Regum Chriſtianorum ut talium; quæ verſatur circa Eccleſiæ defenſionem & ſuſtentationem. 44. De Iuribus Principum circa Eccleſiam, ubi primo de generali in-

 ſpe-

ſpectione in acta Eccleſiæ. 45. De jure Principum circa miniſtros Eccleſiæ. 46. De jure convocandi Synodos. 47. De jure circa diſciplinam Eccleſiaſticam. 48. De poteſtate condendi ſtatuta circa res Eccleſiaſticas. 49. Quid juris ſummis imperantibus det cura ſervandæ tranquillitatis publicæ? 50. De tolerantia diverſarum religionum. 51. Cavendum Principibus, ne fidem adhibeant hominibus obnoxiis. 52. Alicubi Principum jura imminuuntur obtentu religionis. 53. De jure reformandi. 54. An civibus absque Principe competat jus reformandi?

Inter

INter quæſtiones, quæ multo jam tempore per orbem Chriſtianum agitantur, facile è præcipuis eſt, quæ ſuper indole Eccleſiæ, ejusque autoritate ac poteſtate tractat, tum cuinam è cœtibus illis, in quos Chriſtiani diſceſſerunt, dignatio Eccleſiæ proprie competat. Sane illos, qui Pontificis Romani ſectam ſequuntur, in eo cauſæ ſuæ arcem adverſus Proteſtantes collocare videas, ut ſuo cœtui vocabulum veræ Eccleſiæ unice tribuant, reliquos extra ejusdem communionem conſtitutos velut novatores ac rebelles habeant. Quod ipſum ad victoriam ſibi ſufficere arbitrantur, nec opus eſſe, ut circa ſingulos articulos adſtruendos multum operæ ſumatur; cum quicquid in *Argumenti nobilitas.*

diverſum è ſacris literis objiciant Proteſtantes, vel eo ſolo nomine repudiandum ſit, quod ab interpretatione & traditione Eccleſiæ diſcrepet. Quo ipſo in propria cauſa judicum ac teſtium autoritatem ſibi arrogatum eunt. Sed & magnopere tum rei Chriſtianæ, tum & tranquillitatis civilis intereſt accurate definiri, quousque ſe extendat Poteſtas Eccleſiaſtica, quam ſibi ſacerdotum ordo vindicat, & quantum juris circa ſacra ſummis imperantibus civilibus competat. Horum enim fines niſi rite regantur, non poſſunt non ingentes abuſus, turbæ, oppresſiones in Eccleſia juxta ac Rep. provenire. Cæterum me, ut hiſce enodandis aliquid operæ impenderem cumprimis id movit, quod ſolidæ circa iſthæc doctrinæ inſignis ſit uſus hac præcipue tempeſtate, qua non ſolum Romanæ ſectæ ſacerdotes omnes ingenii nervos ad ſubvertendos à ſe diſſentientes intendunt; Sed & maximi orbis Chriſtiani Principes omiſſo eo diſceptandi genere, quod per comparatas invicem rationes exercetur, ad vim confugiunt, & adhibita manu militari miſeros cives

ad

ad cultum, quem averſantur, compellunt. Hæ igitur quæſtiones ut à lubricis & vacillantibus diſputationibus ad prima & ſolida principia revocentur, neceſſum eſt, ut ipſis è fontibus deducatur, quem habitum, σχέσιν, ſeu reſpectum tum religio in univerſum, tum quæ à Chriſto nomen & originem trahit, ad vitam ſeu ſocietatem civilem gerat. Hoc enim fundamento poſito, ubi è divinis Literis inquiſitum fuerit, quam indolem doctrinæ ſuæ attribuerit Chriſtus, haud difficile erit colligere, num divinitus Regnum quodpiam ſacerdotum ſit inſtitutum; aut num Regibus fas ſit imperium & arma ſua negotiis Chriſtianam religionem ſpectantibus interponere.

De religione ante civitates.

§. 1. Eſſe igitur ſupremum Numen, à quo tum univerſa mundi machina, tum præcipue genus humanum ſit conditum, & quod ab homine velut creatura mentis capace agnoſci colique debeat, ex eo genere eſt, quod non modo cum Chriſtianis, ſed & cum ſanioribus Philoſophis agenti ut operoſe demonſtretur, ſupervacaneum & tantum non cum aliqua lectorum

ctorum injuria conjunctum videtur, velut cuipiam rationis compoti de eo dubitare in mentem venire queat. Iſtius porro cultus,quo officium hominis erga Deum conſtat, notitia è duplici fonte promanat. Vel enim è lumine mentis humanæ ratiocinando colligitur, quæ de Deo ſententiæ ſint fovendæ, & quo modo veneratio noſtra erga eundem ſit expromenda. Vel peculiari modo hominibus aliquid circa cultum Dei ab ipſo Deo panditur, quod alias ſolum rationis lumen ſibi relictum haut attingebat. Circa utrumque conſiderare nobis eſt conſtitutum non tam quibus capitibus utriusque generis cultus conſtet; quam prout reſpectum aliquem ad alios homines ipſamq; adeo ſocietatem civilem involvit.

Cuiq; hominis officium erga Deum per ſe exercendū.

§. 2. Id igitur religio, cultusque divinus, tam ex hoc quam illo fonte promanans, primum habet, quod ita cuilibet homini exercendum hoc officium incumbat, ut quivis per ſe ad id concurrere debeat; nec idem alterius vicariam operam ita admittat, ut quis eo ſe plane abdicare, idemque in alterum transferre

queat

queat: adeoque ut quis pro altero cultum divinum exercendum in ſe recipiat, hoc ſacrorum plane incurioſo, ac nihilominus, ex alterius opere, fructum cultus divini percipiat. Id namque officium cuilibet inhæret, quatenus creatura Dei mente prædita exiſtit, eoque involubili nexu animam ratione præditam conſequitur. Qua in re differt cura noſtræ animæ à cura corporis, quod hujus quidem cuſtodiám alteri committere poſſimus, ita ut ſi ſecus quid eidem accidat, culpa ſoli curatori aut cuſtodi, non nobis imputari poſſit: Aut ſicuti nos per mare ad certum locum trajiciendos nautæ committere poſſumus, cujus cura atque providentia in deſtinatum portum adpellimur, nulla noſtra opera interveniente. Sed animæ ſuæ curam, quæ veræ religionis exercitio conſtat, nemo ita à ſe abdicare, alteriq; delegare poteſt, ut ſi ſecus quid admiſſum fuerit, hic ſolus ad reddendam eo nomine rationem Deo teneatur, illo immuni. "Unusquisque noſtrum de ſeipſo rationem reddet" "Deo. Roman. XIV. 10. Et früſtra Paulus

optat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus“ ſuis, cognatis ipſius ſecundum carnem.“ Add. Pſalm. XLIX. 8. 9. Et quanquam fieri poſſit, ut quis propter neglectum circa alterius animam officium pereat; haut eo minus tamen pereundum eſt, & illi, qui negligitur, utut forte propter fiduciam alienæ curæ propriam curam omiſit. Ezechielis XXXIII. 7. 8. Sic juſtus ſua fide vivere dicitur. Habac. II. 4. “ Ac indefinite pronunciatur, qui non crediderit, damnabitur, nullo diſcrimine, ſeductus“ quis fuerit, an minus, aut num forte ob reſpectus humanos veram fidem ejuraverit.

Id quomodo ſe habeat in libertate naturali.

§. 3. Ex hoc autem, & quia religio ad Deum refertur, conſequitur; ad hanc exercendam non neceſſariam eſſe per ſe conjunctionem plurium hominum: nec ejusdem efficaciæ ſalutari in uno quopiam homine aliquid inde accedere, quod plures in eandem conſpirent. Unde primos mortalium in paucitate ſua genuino religionis uſu perfungi potuiſſe, ac rite perfunctos fuiſſe conſtat: ac ſi unum aut pauciſſimos in ſolitudine age-

re contingat, non ideo religionis expertes cenſendi ſunt, quia in cœtu non agunt. Nam quod Deo in cultu ſui quam maxime probatur, id ſoli ipſius obtutui patet, velut qui penetralia cordium humanorum inſpicit. Et qui à me non proficiſcitur, utut non ſolis meis viribus, ſed adminiculo quoque divino adſcribendus ſit, cultus Dei, pro meo haberi nequit. Porro qui in libertate naturali degunt, uti nulli humano imperio ſunt obnoxii, ita & in eo ſtatu religio, velut quæ ad Deum refertur, ſolo reverentiæ vinculo erga eundem continetur, imperii humani aut coactionis neſcia: quam quisque eo in ſtatu ultro amplectitur, prout vel propriæ rationis dictamina, vel divinitus accedens revelatio perſvaſerint. Quo & in ſtatu quilibet ſuo è judicio diſponit circa ea, quæ religionem extrinſecus circumſtant. Sicut eo in ſtatu conſtitutus ſuper ſua fide ac religione ſoli Deo teneatur rationem reddere; ac nemo ibidem velut ſuo jure à me poſtulare queat, ut ad ipſius potius, quam ad proprium judicium Deum colam.

Sed ſi quis me utique in ſuas partes trahere velit, idoneis rationibus demonſtrandum eſt, me in errore verſari, penes ipſum veritatem ſtare. Quanquam & alia ratio ſit, quare ad religionem nemo in quocunque ſtatu poſitus cogi poſſit, quia nempe penitiſſima agnitio veritatis non niſi è rationibus mentis aſſenſum elicecere aptis naſcitur, ex qua ad venerationem Numinis fit progreſſus: & myſteria religionis Chriſtianæ ſupra captum humanæ rationis poſita, ut mentem convincant, gratia divina opus habent, quæ violentis mediis haud quidquam conciliatur. Unde ut dem ſine mente ſonum, ut geſtum aliquem exprimam, aut ut ſenſa animi mei diſſimulem, & verba ab hiſce diſcrepantia proferam, vi cogi poſſum; ut credam, cogi non poſſum. Nam ex toto corde credendum eſt. Actor. VIII. 37. " Quod autem ad declinandum malum, aut captandum emolumentum terrenum ſuſcipitur, id non ſuſcipitur ex toto corde. Sed fides ex auditu eſt; auditus autem per ver-" bum Dei. Rom. X. 17. Neque hoc verbum "

De-

Deus violento modo hominibus impingit, ſed ſvaviſſima ratione idem inſinuat 2. Cor. V. 20. "Nomine Chriſti legatione fungimur, tan-" quam Deo obſecra[illegible] per nos. Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

§. 4. Uti tamen inter homines nihil frequentius eſt, quam ut, quod officium uni incumbit, in altero itidem obligationem pariat; ita & circa religionem contingit, ut is, cui ex idonea conjunctione cura incumbit circa formandum alterius animum, teneatur quoque operam dare, ut idem ſuper ſano circa Numen ſenſu imbuatur, & ad hoc rite colendum proclivis fiat. Ea autem cura naturaliter neminem propius tangit, quam parentes circa liberos ſuos: unde & præcipua pars officii paterni habenda eſt ea cura, ut à teneris liberi veras circa Deum & divina ſententias imbibant, & ad debitum Deo cultum præſtandum excitentur. Nam ſerum nimis eſt liberos ſuo velut inſtinctui relinquere, quoad propria per ratiocinia officium erga Deum eruerint. Multo minus conſultum eſt, peculia-

Cura pro religione alterius originarie fuit penes parentes.

res ipſos revelationes velle captare, inſuper habita vera doctrina de Deo, quæ jam extat. Quin fere inemendabilem in feritatem degenerant puerorum ani[illegible]i cultui divino ab incunabulis adſveſcant. Etſi ea pars officii paterni non alio modo exercenda eſt, quam indoles propagandæ religionis admittit, id eſt, non vim intentando, ſed docendo, hortando, obſecrando, iram Dei denunciando. Unde & originarie ſacerdotium cum munere paterno, ac patrum familias eſt conjunctum. Sic Abraham velut exemplum boni parentis ac patrisfamilias commendatur, quod liberos ſuos ad pietatem manuduxerit, Geneſ. XVIII. 19. “
qui & circumciſionem adminiſtravit; Ge- “
neſ. XVII. 20. Add. Deuter. VI. 7. XI. 19. Eph. VI. 4. “
Sic & Jacobus Geneſ. XXXV. 2. 3. 4. abolet è familia ſua idola, & ſi nulla vi adhibita, ſed familiaribus ultro tradentibus, quibus iſte de vero Deo, à ſe ſuisque majoribus culto, fidem fecerat. Etſi ea quoque pars cum reliquo officio paterno, quando filii relicta paterna familia ſui juris evadunt, hactenus expirat, ut qui

in

in peculiarem patremfamilias abit filius, eodem quo pater jure ſacris ſuæ domus præſit. Ac ſi quæ heic intervenere monita paterna, vim ultimarum voluntatum obtinent, quæ non ex Imperio proprie dicto, ſed ex evidentia ipſi9 rei, aut reverentia erga paternam memoriam valent, non niſi ab improbis liberis inſuper habenda.

§. 5. E ſuperioribus quoque colligitur, propter religionem civitates non eſſe inſtitutas; ſeu homines non ideo in civiles ſocietates coiviſſe, ut religionem invenirent, vel eidem vacarent. Cùm enim religio & divinus cultus non minus commode à paucis, quam multis hominibus, in exiguo, quam magno cœtu exerceri queat, non opus fuit eam ob cauſam ſocietates ſtruere magno ac valido hominum numero conſtantes. Præſertim cum increbeſcentes humano in genere injuriæ, quæ mortales primum ad inſtituendas ſocietates civiles ſubegerunt, non huc tenderent, ut alios à cultu Dei averterent, ſed ut vita, libertate, ac bonis ipſos ſpoliarent. Neque *Civitates non ſunt inſtituta propter religionem.*

etiam

etiam per ſe ad pietatem & expromendum Dei cultum facit in ſocietate multorum hominum vivere, cum quilibet homo pro ſe cultum ſuum Deo adprobare debeat: nec ideo pius quis ſit, quia cum aliis piis degit. Et qui ante civitates inſtitutas vixere patresfamilias, non minus pietatis laude celebres ſunt, quam qui poſt in civitatibus vixere. Ex quibus & id manifeſtum eſt, religionem non eſſe inventum ingenioſum eorum, qui civitates condiderunt, cum illa ſit longe antiquior & prior civitatibus, utpote generi humano coæva, cum civitates longe poſt condere rationes graves ſvaſerint; etſi non defuerint, qui eadem ad reſpectus ſuos civiles abuſi ſunt. Eoq; nec illius uſum imperio civili eſſe ſubordinatum, velut inſtrumentum regendis dextre hominibus inſerviens. Vnde & non alio ſenſu recte dicitur, religionem eſſe vinculum ſocietatis civilis, quam quia amota reverentia divini Numinis maligna quoque ineſt vis animos hominum ſtringendi pactis, quibus civitatum compages ſuperſtructa eſt: & quia

facile eludi poteſt metus ab hominibus immi-
nens, ubi metus Numinis abſuerit.

Cives non ſubmiſerunt ſuā voluntatē voluntati ſummorū imperantium circa ſacra.

§. 6. Cum igitur religionis gratia civitates non ſint inſtitutæ, conſequitur, dum patresfamilias easdem abdicata naturali libertate ſubierunt, non opus fuiſſe, ut hi voluntatem ſuam circa religionem voluntati ſummorum imperantium ſubmitterent; prout quidem uſum virium rerumque ſuarum ſubmiſerunt voluntati eorundem, ad genuinum civitatum finem, nempe ſecuritatem civium dirigendum. Præſertim cum neque ſecuritatis illius cauſa religio ſit humano generi injuncta, neq; ejusdem exercitium per ſe ad iſtum finem quid conferat. Ac religio à principio, quod longe eminentius eſt imperio civili, oriatur, eoque validius hominem ſtringat, quam imperium humanum, nec ab hoc alterationem recipiat. Unde inutile juxta ac abſurdum foret, ſi futurus civis ita imperaturo ſe obſtringeret: Submitto voluntatem meam voluntati tuæ etiam in hoc, ut ad arbitrium tuum velim amare, venerari Deum, in Deo confidere, aut plus

tibi fidei quam Deo adhibere, aut te volente ejus amorem, venerationem, obſequium omittere, aut tuo juſſu ejusmodi ſigna adhibere, quæ naturam Dei deſtruunt. Nam huc cumprimis quadrat illud ab Apoſtolis adhibitum dictum: oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Ac ſi qui ſummi imperantes ad talia quoque imperia ſua extenderunt, ſine dubio poteſtatis ſuæ limites migrarunt; & ſi quid mali eo nomine ſubjectis obſequium detrectantibus intulerunt, id non pro actu legitimi imperii, ſed pro injuſto, & hoſtili, aut tyrannico fuit habendum. Et hanc veritatem ipſe Deus per inſignia miracula confirmavit. Danielis VI. Darius inſtinctu Procerum Danieli caſſes ſtruentium legem tulerat, oppido quam abſurdam; ne quis intra triduum ullam rem à quopiam Numine peteret. Quid enim intererat Regis, quas quisq; preces ad Deum funderet, cum abſurdas preces ipſe Deus aſpernetur; & præcipue in occluto. Nam ſi quis in publico & coram arbitris ita precetur, v. g. ut Deus Regem male

per-

perdat, non injuria pœnas dederit. Vnde recte Daniel ſvetas preces ad Deum intra ædes ſuas emittere non omiſit, inſuper habito ſtolido ac nefario ſtatuto: eoq; nomine à DEO per manifeſtum miraculum faucibus leonum incolumis ereptus eſt. Sic & tres Danielis ſodales Deus per miraculum mediis ex ignibus citra noxam ſervavit, quod juſſu Regis ſtatuam auream adorare nollent. Dan. III. Ubi valde probabile videtur, eam ſtatuam à Nabuchodonoſore propoſitã non ea intentione, velut eidem divinitatis quid ineſſet, utq́ue adeo veneratio & cultus exhibitus in iſta maſſa aurea affabre figurata terminaretur; ſed ut eo ſymbolo animus ad ſummum Numen venerandum aſſurgeret. Certe Jeroboam non adeo mentis inops fuit, ut ſibi aut populo perſvadere vellet, vitulos aureos, quos ipſe conflaverat, eſſe illud Numen, quod populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxerit. Sed nonniſi pro ſymbolo eosdem expoſuit, coram quo cultum publicum exercerent, & ante quos proſtrati mentem ad Deum, Iſraelis liberatorem, elevarent.

Adeoque à Deo non ſimpliciter defecit, ſed tantum velut ex jure ſummi imperii, & per rationem ſtatus circa externum ſymbolum quid diſpoſuit. Vid. Ioſephus Archæól. l. VIII. c. 3. Et tamen ob id facinus non ipſe ſolum tota cum proſapia excidio damnatus eſt, ſed & populus Regi ad idololatriam præeunti obſequens deportationem è terra divinitus data meruit, nullo poſtliminii beneficio. Add. 2. Reg. XIX. 17. 18.

Quid naturaliter ſummis imperantibus poteſtatis circa ſacra competat?

§. 7. Non tamen nulla ſummis imperantibus circa ſacra poteſtas aut cura competit, ex munere proveniens, quod in civitate eximium gerunt, & ob quod patres quidam publici ſeu patres patriæ audiunt. Quemadmodum enim ſupra diximus non poſtremam partem officii paterni eſſe, ſobolem pietati adſvefacere; ſic & iſtis diſciplinæ publicæ cura incumbit, cujus præcipua pars eſt, ut inter cives reverentia erga Deum vigeat. Quippe cum pietas erga Deum fundamentum ſit probitatis morum, & virtutis erga homines, quam in civitate florere ſummorum imperantium

tium quam maxime intereſt; & vinculo inter imperantes & cives maxima firmitas è religione proveniat, quia Deus eſt Fidius, id eſt, cui fidem & pacta inter homines ſervari curæ ſit. Sic igitur non ſolum officium ſummorum imperantium eſt, ut religio naturalis à civibus probe excolatur: Sed & iidem pœnis ſancire poſſunt, ne quis committat actus externos, quibus illa in univerſum, aut præcipua ejus capita ſubvertantur. Nam actus interni, quantum in exteriores actus non erumpunt, à pœna humana ſunt immunes. Et qui actus in motu animi interno per intrinſecum impulſum eliciendo conſiſtunt, coactionem externam adſpernantur. Ex iſto genere ſunt, palam Numen, ejusque providentiam negare, plures uno Deos comminiſci, ficta Numina, aut creaturas in vicem Dei colere, Deum blaſphemare, dæmones colere, & cum iis pacta inire, & ſimilia. Sed quod externos attinet ritus, quibus mature religionem homines veſtire cœperunt, & ſi ut circa ſtos uniformitas ſit in civitate, ad decus & bonum ordinem non parum

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM.

valere videtur; circa hanc tamen non adeo anxie ut ſatagant ſummi imperantes, opus habent, quod iſtorum diſcrepantia religionem non tollat, nec per ſe animos civium ad diſcordiam & pugnas inter ſe diſponat. Quodque adeo ſummorum imperantium non interſit, diſcrepantes à civibus ritus circa ſacra adhiberi, quod citra aliorum fraudem fiat; non magis quam ſi in diverſas ſententias circa dogmata phyſica iidem ſcindantur. Id autem dubium non habet, quin ſi qui obtentu religionis periculoſas reip. factiones excitent, aut occulta ſcelera patrent, ab imperantibus civilibus coërceri poſſint, haut obſtante vocabulo religionis, quæ ſcelera uti non producit, ita nec excuſare, aut clam fovere debet. Sicuti merito impura Bacchanalia à Senatu Romano extirpata ſunt, apud Livium L. XXXIX, 9. 10. Hos limites qui migrarunt imperantes, & ſubjectos ſibi populos ad cultus à ſe confictos compellere inſtituerunt, ſine dubio conceſſo ſibi imperio abuſi ſunt. Sed & hautquaquam Principum officio functi ſunt, qui à ſuis diverſa

ſacra

ſacra perſecuti ſunt ideo tantum, quia diverſa fuerunt, nulla inquiſitione facta, recte, an ſecus ſe habuerint. Unde peſſimus fuit proceſſus Plinii, viri alias placido ingenio, adverſus Chriſtianos in Bithynia adhibitus; L. X. Epiſt. 97. Fatetur initio, ſe cognitionibus de Chriſtianis interfuiſſe nunquam, ideo neſcire, quid aut quatenus puniri ſoleat, aut quæri. Et tamen ſubjungit, «interrogavi ſemel atque iterum, an eſſent Chriſtiani, perſeverantes duci juſſi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, pervicaciam certe & inflexibilem obſtinationem debere puniri.»

De indole religionis revelata.

§. 8. Enimvero poſtquam humani generis ea eſt conditio, ut ſublimiorem, cui divinitus deſtinatum eſt, finem obtinere nequeat eo cultu, quem ſola naturalis ratio ſuggerit: bonitati ſuæ congruens duxit Deus O. M. mortalibus peculiariter pandere viam, qua ipſe propitiari illis poſſit, & quo modo ab iisdem coli velit. Ubi quidem nemo ſanus dubitaverit, quin ſi quæ circa religionem, ſuique cultum

tum Deus ſublimiore, quam per lumen rationis, modo inſinuaverit, ab hominibus reverenter acceptanda, promtoque obſequio exprimenda ſint. Ex quo genere inter dogmata quidem præcipuum fuit illud de expianda generis humani labe, & medendis inde provenientibus malis per Salvatorem. In cujus rei ſymbolum arbitramur ipſo ſuggerente Numine à primævis mundi temporibus inſtituta ſacrificia cruenta; cum extra ejusmodi præfigurationem à ratione abhorrere videatur creaturam ſenſu præditam, & magno cum dolore morientem in honorem Creatoris deſtruere. Perinde ac ſi quis officinam artificis ingreſſus opera ipſius corrumpendo, honore ſe iſtum afficere prætenderet. Vetuſtiſſimus ille ſacrificandi ritus, & præcipuum cultus divini ſymbolum, antequam ſuperſtitione aut inſcitia temeraretur, ſuperaddidit quidem aliquid religioni naturali: ſed ipſum religionis exercitium in ſe non alteravit. Nam ritum iſtum ſacrificandi in naturali libertate quilibet pro ſe exercendi jus habuit; etſi ut illud

Deus primis parentibus revelavit dogma de expianda labe generis humani per Salvatorem

in cujus rei symbolum suggessit sacrificia cruenta

alias rationi grata

hoc symbolum superaddidit aliquid religioni Naturali sed exercitium ejus in se non alteravit

quilibet pro se id jus exercere potuit etsi id necesse non fuerit

illud quilibet pro ſe exerceret neceſſum non fuit, quippe cum ſacrificium eſſet duntaxat ſymbolum, futuram generis humani redemtionem repræſentans, & ad eam fide amplectendam velut anſam præbens, ſic ut una victima apud multos adſtantes eundem finem producere poſſet. Unde factum, ut regulariter id munus ſacrificandi per capita familiarum adminiſtraretur; ac pluribus familiis congregatis per illum, quem cæteri ad iſtud munus elegiſſent. Cum eo jure ſacrificandi conjunctum fuit jus diſponendi de loco & tempore peragendorum ſacrificiorum. Sic & poſtquam Deus ritum ſeu Sacramentum circumciſionis inſtituit, ejus adminiſtrationem ſibi in Domo ſua Abrahamus ex jure Patrumfamilias vindicavit. Quæ de jure ſacrificandi diximus, probari ex eo poſſunt, quod Abel & Cain, utique poſtquam paterna familia exceſſiſſent, Deo ſacrificarunt. Gen. IV. 3. 4. " Sic paſſim in libro Geneſeos Patriarchæ velut patresfamilias altaria Deo erexiſſe dicuntur. Sic Judicum XVII. Micha ſibi ſacra do-

meſtica conſtituit, quod in anarchia illa Rex non eſſet in Iſraël, aut alius, qui legis divinæ obſervantiam tueretur, eoque iſte jure veterum patrumfamilias, licet prave, uteretur.

Religio Iudaica ſtatui fu- [illegible] annexa

§. 9. Placuit autem divinæ ſapientiæ Salvatorem ſeu Meſſiam non primis ſtatim mundi temporibus, & infrequentibus adhuc terræ incolis mittere, ne antiquitate temporum in oblivionem iret, aut in fabulam verteretur; ſed in plenitudine temporis, ſeu poſtquam orbis terrarum incolis undique impletus eſſet, genusque humanum velut adultam ætatem attigiſſet. Sed & illud congruum ac prope neceſſarium viſum, Meſſiam in mundo non ſubito & ex improviſo apparere, ſed diu prædictum atque expectatum, quo & deſiderio ſui homines accenderet, & acta ipſius prædictionibus quadrantia eo facilius fidem apud homines invenirent. Illæ prædictiones ne lapſu temporum obſoleſcerent, aut è memoria hominum evaneſcerent, Deus earum cuſtodiam nationi Iſraëliticæ peculiariter commendavit, ac velut archivum vaticiniorum

rum

rum apud eandem conſtituit: quorum cuſtodia eo magis eidem cordi futura erat, quod ex illa ipſa natione ortum ſuum Meſſias, qua homo eſt, ducturus eſſet, ingenti ejusdem prærogativa & gloria. Quo fine & peculiari fœdere ſibi eam gentem Deus innexuit, cujus Symbolum erat circumciſio, ac cum poſt in numeroſum populum eadem excreviſſet, & hic ſervitio Ægyptiacô liberatus, ſui juris factus eſſet, peculiaribus legibus ſtatum ejusdem ſimulque religionem, quæ usque ad Meſſiæ adventum duratura erat, formavit. Et ita quidem, ut & ſtatus religioni, & religio ſtatui innexa eſſet. Unde & ſacrorum cura certæ tribui commiſſa, quam ne ad alia negotia ſtudio converſo negligeret, Deus prohibuit, dum agros illi aſſignari vetuit, & ſolis decimis altarisque proventu vitam tolerare juſſit; quo nomine & Deus ſors Levitarum dicitur. Tum & publicus ſolemnisque cultus uni loco affixus, qui alibi recte obiri non poterat. Tota denique religio ita diſpoſita, ut niſi à populo, qui penes ſe ſummo frueretur imperio omni-

bus ſuis numeris abſoluto, exerceri non potuerit. Quam ob cauſam & Judaicus populus ſalva ſua religione cum alia civitate plene coaleſcere non potuit. Unde ſicut religio Judaica ſtatui fuit coæva, eodem tempore ac volumine ſancitis legibus circa ſacra & civilia: ita & religio ſtatui ita implicita fuit, ut illa huic ſuperſtes eſſe non poſſet: Sic ut deſtructio templi, & everſio reip. Judaicæ certiſſimum indicium ſit abolitæ religionis Judaicæ. Quatenus autem tota Judaica natio veram religionem amplectebatur, populus Dei, & populus ſanctus vocabatur.

Poteſtas circa ſacra in Rep. Iudaica penes quem?

§. 10. Eo ipſo autem, quod Deus religionem Judaicam, ejusque ritus adornavit, ac ſeveriſſima lege ſanxit, nemini mortalium poteſtas competebat eam alterandi, aut quid eidem addendi, demendivè. Vnde & ipſis Regibus peſſime ceſſit, Sauli & Vſiæ, quod ſacerdotum munus involare auſi ſunt. Et qui alienos cultus introducere inſtituerunt, in divino Codice velut perpetua infamia notati extant. Sic ut Regibus nihil aliud poteſtatis circa

ca religionem competierit, quam ut curam & inſpectionem obirent, quo omnes, etiam ſacerdotum ſummus, munia divinitus præſcripta rite exercerent, legesque divinæ circa ſacra præſtarentur ſartæ tectæque. Sed & tribus Levitica, ac ſacerdotum proſapia hautquaquam conſtituit peculiare aliquod & independens corpus à ſummo imperio ejus reipublicæ; ſed revera fuit pars populi Regum imperio obnoxia, qui & munere eos dimoviſſe leguntur criminum compertos, & ſegniter commiſſa obeuntes increpaſſe. Sed & David Rex boni ordinis cauſa munia inter ſacerdotes Levitasque diſpertitus eſt, & ſi non ſine conſilio Procerum & Seniorum populi, totiusque tribus Leviticæ, & ut ſorte aſſignarentur vices munerum tam inter cantores quam janitores. Quo ipſo tamen exercita fuit non tam poteſtas circa ſacra, quam circa perſonas, quæ ſacris obeundis divinitus deſtinatæ erant, ut in exercendo ipſorum munere nihil oriretur confuſionis. Vt autem in tabernaculi vicem ſubſtitueretur templum, id eſt

Templu loco Tabernaculi ejectum cum conſensu Dei

pro domicilio fragili & per ſenium corrupto ædificium magnificum & ſtabile, non ſine conſenſu Numinis factum eſt. Cujus templi reparatio, velut præcipui ædificii publici, neminem quoque propius, quam ipſum Regem tangebat, quod penes illum eſſet, ſumtus, & operas ei reparationi neceſſarias imperare. Quodſi autem Regum quis peregrinos, & à Deo vetitos cultus inducere auſus eſt, non imperio & intentata pœna ad pares cultus populum induxiſſe legitur, ſed exemplo; quo qui ſeduci ſe paſſi ſunt, eo nomine pœnas divinitus una cum Rege dederunt. Eosdem autem cultus qui averſati ſunt, haut ideo obſequium civile exuerunt, ſed iſtos ad modum calamitatis publicæ tolerarunt. Sicuti & præcipua laude in divinis literis feruntur Reges, qui idololatriam & è propria libidine confictos cultus abrogaverunt. Ejusmodi autem impios Reges idololatriæ autores ſummum in civitate faſtigium, quo gaudebant, illis pœnis exemit, quas alias lex divina dictabat illis, qui alios ad aliena ſacra ſeducere aggreſſi forent.

rent. Eſt denique & hoc circa Religionem Judaicam obſervandum, quia iſta ſtatui innexa fuit, & merito ejusdem fundamentum dici potuit, ſicuti etiam Deus felicitatem Reip. Judaicæ, & quietam poſſeſſionem terræ ejus, in qua ſola civitatem conſtituere potuerunt, ab obſervatione præſcriptæ religionis velut conditione ſuſpendit: ideo & civilibus pœnis per imperium civile exſequendis ſancitos fuiſſe actus, qui ad religionem illam convellendam & deſtruendam faciebant. Quod inſpectis divinis legibus Codice Moſaico contentis facile patet.

Religionis Chriſtiana diverſus genius à Judaica.

§. 11. Ab iſthac religione Judaica multis modis differt Chriſtiana, non in eo ſolum, quod hæc jam exhibitum mundo amplectitur Salvatorem, eoque ipſo abolet ſacrificiorum, & rituum adparatum, qui iſtum adumbrabant: ſed & quod ita divinitus adaptata ſit hæc, ut omnibus per univerſum orbem populis poſſit & debeat congruere; eaque propter revera ſit religio univerſalis; cum contra Judaica, eo ipſo, quod ſtatui civili ejus popu-

populi innexa foret, primario non niſi huic conveniret, ac reliquis gentibus difficilem valde ad ſe acceſſum præberet. Aſt nunc cultus Chriſtianus nulli certo templo aut loco alligatus eſt; ſed ubique locorum puræ manus ad Deum elevari poſſunt 1. Timoth. II. 8. Non ſumtuoſis amplius ſacrificiis opus eſt, ſed quæ Deo placent jam victimæ, pretio haut menſurantur.

Cultus publicus non certæ prosapiæ alligatur

Quin nec miniſterium cultus publici certæ nationi aut proſapiæ alligatur:

Sed oēs Xtiani, sunt sacerdotes

Sed in univerſum quidem omnes Chriſtiani ſacerdotes coram Deo vocantur; miniſterio

Ministerium e liberis oēs ad id idonei

autem Eccleſiæ citra diſcrimen generis adhiberi poteſt, quisquis idoneis ad eam functionem artibus eſt inſtructus.

Exceptis foeminis

Niſi quod fœminas publico docendi munere arceat Apoſtolus 1. Tim. II. 12. Denique circa poſſeſſionem velut ejus religionis, omnes populi ſunt æquales, nec ulla natio eam velut peculiari jure ad ſe pertinentem, aut præ reliquis aliquam ſibi prærogativam vindicare poteſt: ſed Chriſtus uni populo æque proprius eſt, quam alteri. Heic non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt "

ſer-

ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque "
fœmina. Omnes enim vos unus eſtis in Chri- "
ſto Jeſu. Gal. III. 28. Heic non eſt Græ- "
cus nec Judæus, circumciſus & Præputium, "
Barbarus, Scytha, ſervus, liber; Sed omnia "
& in omnibus Chriſtus. Coloſſ. III. 11. Add. "
1. Timoth. II. 14. Cæterum quia religio Chri- "
ſtiana non uni ſtatui, qui una cum ipſa ortum ſuum habuit, uti Judaica, implicita fuit, ſed eo tempore ſurrexit, quando orbis terrarum jamdudum civitatibus oppletus erat: id jam nobis præcipue diſpiciendum fuerit, num ea religione introducta aliqua alteratio in vita civili, ac jure ſummorum imperantium orta ſit, aut novus ſtatus à ſummo imperio civili ſeparatus, vel exemptus ſurrexerit? ſeu, quod eodem redit; num Eccleſia ſtatus ſit, à ſtatu civili diſtinctus, qui imperio per homines adminiſtrato & exercito contineatur? Per ſtatum autem intelligimus ejusmodi conjunctionem plurium hominum, quæ imperio per homines adminiſtrato ſibi proprio, & aliunde non dependente, continetur.

An Ecclesiae Status sit distinctus à Civili Statu?

Qualem ſe Moſes geſſerit, conditor ſtatus Judaici?

§. 12. Ad iſthanc rem penitius eruendam non abs re fuerit initio conſideraſſe, qualem ſe geſſerit Moſes, ſacrorum juxta ac ſtatus Judaici conditor; & quam diverſum ab hoc ſeſe exhibuerit Jeſus Chriſtus, Salvator generis humani, & Eccleſiæ ab ipſo cognominatæ fundator. Moſi igitur jubente Deo propoſitum fuit poſteros Patriarcharum, quos peculiari fœdere ſibi Deus innexuerat, è ſervitio Æpyptiorum liberatos in terram Canaan deducere jam olim promiſſam; ſimul civitatem, quam recens conſtitutum ibat, legibus tam circa ſacra, quam civilia, inſtruere. Is ut autoritatem ſibi tam apud populares ſuos, in quos de cætero nullum imperandi jus ipſi competebat, quam apud Ægyptios, qui iſtos huc usque ſibi ſubjectos habuerant, circumponeret, talia facta humanam potentiam excedentia edidit, quæ divinis ipſum auſpiciis ferri, ſecretisque Dei commerciis frui demonſtrarent. Quæ miracula ad terrorem præcipue incutiendum, ac pertinaciam refractariorum frangendam valebant, ut tantam ſub-

Moyses authoritem suam miraculis probavit

ſubditorum multitudinem Rex Ægyptius amitteret. Numerus eorum, quos ſervitio ereptos ſui juris faciebat, tantus erat, qui juſto populo, eique ſat valido, ſufficeret: qui & miraculis ejusdem, ac beneficiis motus, & quod præſens Numen ipſius acta comitari conſpiceret, lubens principem ipſum ducemque agnoſcebat. Hanc perſonam dum vixit maxima cum autoritate egit, actusque ſummi Principis exercuit, leges ferendo circa ſacra & civilia, totumque adeo populi ſtatum deſignando, formandoque. Tum & jus dicere, pœnasque ſontibus irrogare curæ fuit, magiſtratusque conſtituere, qui in partem curarum venirent, ſeveriſſima pœna illis inflicta, qui autoritatem ipſius inſultare auſi fuerant. Tributis impoſitis tunc opus non erat, præterquam quæ ad cultum ſacrorum adornandum & exercendum facerent. Idem quoq; defenſioni populi invigilare, & in laceſſentes armatos emittere; ac demum cum è vivis abeundum ſibi ſentiret, ſucceſſorem deſignare, qui ſumma belli adminiſtrata populum in

 poſ-

poſſeſſionem terræ tamdiu deſideratæ introduceret. Manifeſtum igitur eſt, Moſen, dum vixit, Principis munus geſſiſſe, novumque ſtatum ſeu rempublicam condidiſſe.

Qualem Chriſtus ſe geſſerit Eccleſiæ conditor?

§. 13. Ab hoc ſe diverſo plane modo geſſit Jeſus Chriſtus, & ita quidem, ut novum condere ſtatum eidem haut propoſitum fuiſſe facile adpareat. Sane per miracula & ipſe fidē ſibi, autoritatemq; adſtruxit, ſed quæ non terrorem aliis incuterent, aut ulli noxam inferrent. Quin cum diſcipuli ipſum monerent, ut igne cœlitus immiſſo contemtores ſuos deleret, eos increpuit. Lucæ IX. 54. 55. Sed per talia facta Deum ſe demonſtravit, quæ ad benefaciendum aliis valerent, ac ad amorem & gratiam hominum alliciendam cumprimis forent idonea, ſimulque manifeſto indicio divinitatem arguerent; quod naturæ rerum motum aliquem & mutationem inferre ſolo nutu, nullo adhibito medio, ſolius Numinis ſit. Circumivit, & benefecit, & liberavit à “ dæmone obſeſſos. Actor. X. 38. Quæ omnia ad ſtatum aliquem condendum nullum reſpe-

ſpectum habebant. Deinde ſectatores quidem aliquot ſibi adſcivit, ſed exiguo valde numero, ac inermes, inopes, vili profeſſione, nulla auctoritate, quique adeo neque per ſe inſignem ſtatum conſtituere, neque in alieno ſtatu violentum aliquem motum producere, & res novare valerent. Et cum ſemel atque iterum plebs doctrina ipſius & miraculis delinita Regem eundem proclamare meditaretur, longe refugit, ac ex eorum ſe manibus ſubduxit. Sectatores porro præcipue doctrina ſua imbuere curæ fuit; unde & Diſcipulorum vocabulum ipſis inditum, qui & viciſſim Magiſtri doctoriſque nomine eum ſalutarunt. Præterea novæ nihil legis, quod quidem ad ſtatum aliquem formandum faceret, ab ipſo latum; ſed vetus lex, ad omnes homines ſpectans, explicata, & ejus obſervatio inculcata. Jus ab eodem nunquam dictum; Lucæ XII. 13. 14. Joan. VIII. 11. Ne arbitri quidem munus ſuſceptum, ut haut eo ſe fine veniſſe argueret. Ipſe denique tributum aliis exſolvit, ac, cum defugere id poſſet, in jus ſe rapi, ac ſupplicio

affici paſſus eſt. Quæ omnia à perſona Principis abhorrent.

Chriſtus non fecit novum Populum.

§. 14. Clariora iſta fient, ſi diſtinctius conſideremus, nihil eorum à Chriſto factum, quæ à conditoribus novi ſtatus fieri neceſſum eſt. His quippe primo omnium curandum eſt, ut populum ſibi faciant, id eſt, inſignem hominum multitudinem, unius imperii vinculo inter ſe diu connectendam, comparent. Quæ multitudo vel alicui civitati junctim decerpitur, ut à Moſe factum; vel è pluribus civitatibus ſparſim colligitur, ſicuti Romulus ſuum ſibi populum fecit. Circa tale inſtitutum hautquaquam ſategiſſe Salvatorem deprehendimus. Numerus diſcipulorum ejus longe minor, quam qui populi menſuram explere poſſet, nec ad ejusmodi miniſteria adhibitus, quæ ad condendam novam civitatem facerent. Qui & ipſi ab eo haut ita dependerunt, ſicut à Principe aliquo cives ſubditique ſolent, ſed uti à Magiſtro diſcipuli, non peculiari aliquo homagio in ipſius verba adacti, ſed amore atque admiratione tam ipſius perſonæ,

ſonæ, quam doctrinæ deliniti. Vid. Joan. VI. 66. 67. 68. Subinde quoque ad eundem confluebant ingentes hominum cætus, ſed eo duntaxat fine, ut doctrinæ ipſius auſcultarent, & miracula ſpectarent, inde ad ſua quisque dilapſi. Quos nec unquam imperio ſuo ſubjicere, aut obſequio civili, cui hactenus adſtricti fuerant, ſubducere in mentem venit. Denique cum mortem ſubiturus eſſet, fidiſſimi hactenus & individui ſectatores latibula circumſpicere, ac publico abſtinere. Unde & Chriſtianorum nomen non nationem aut populum, civemque certæ reip. ſed certæ religionis, doctrinæque profeſſionem notat.

Chriſtus nihil habuit territoriu.

§. 15. Rempublicam quoque ſeu ſtatum condituro neceſſum eſt, ut terrarum quid habeat, ubi cives ſui ſedem fortunarum, novamque patriam figere poſſint. Sic Moſes cum populares ſuos in Ægypto in liberum populum erigere non poſſet, in deſerta loca, & ab humano imperio vacua eosdem eduxit, quoad terram Canaan deletis veteribus incolis occuparent. Huc antequam delati forent Iſraelitæ,

ni-

nihilominus liber, ſuique juris populus fuere, nullius alterius imperio obnoxius, & qui ex loco, ubi peregrinabatur, temporarium imperium haut ſubierat, partim quod illæ terræ nullius eſſent, partim quod per alios fines ad modum exercitus tranſiret, cui libertas ſua gladio aſſeritur, & imperia domini territorii armis eluduntur. Aſt Chriſtus ita pauperem ſe profeſſus eſt, ut ne quidem haberet " quidpiam propriæ terræ, ubi caput reclinaret. " Matth. VIII. 10. Sed nec ipſe ad alienas terras adquirendas animum adjecit, aut ſuos ad id inſtruxit: ac quoad vixit cum ſuis in alieno territorio, alienoq; imperio obnoxius verſat⁹ eſt.

Chriſtus non geſſit perſonam Principis

§. 16. Multis quoque aliis indiciis conſtat, Chriſtum in his terris Principis perſonam haut egiſſe, nec agere voluiſſe. Cum mater filiorum Zebedæi peteret, ut filii ſui ſupremis in regno Chriſti muneribus potirentur, hic inſcitiam ejus increpavit, perſecutionum affatim, ſed ſplendoris & imperii nihil manſurum ſectatores ſuos teſtatus. Sed & ſuis diſerte injunxit, ne ad modum Principum præeminentiæ

tiæ quid præ aliis affectarent; Vos autem non "
ſici; ac fraterna invicem æqualitate agere juſſit. Matth. XX. 20. ſeqq. Ac ut ſuo exemplo omnem ſuperbiam procul haberent, pedum lavandorum ſervile miniſterium Petro exhibuit. Denique ad novum ſtatum formandum quam maxime intereſt, ut conditor ejus diuturna gaudeat vita, rebus eo melius ordinandis. Unde Davidis milites non amplius ipſum in ancipitia præliorum admittere volebant, ne extingveretur lux Iſraëlis; cujus unius jactura majoris erat, quam integræ myriadis. Aſt Salvator noſter ultro ſe morti obtulit, cum vix quadriennium publico ſe exhibuiſſet, nullo deſignato ſucceſſore, qui in ſectatores ſuos imperium, aut huic ſimilem autoritatem exerciturus eſſet.

§. 17. Uti autem in perſona Chriſti, dum in terris egit, nil adparet, quod Principem aliquem terrenum exprimeret, nec ex actionibus ipſius vel minimum indicium relucet, quod de novo ſtatu formando eundem agitaſſe arguat: ita illo tempore, quo in pu- *Sed Doctoris.*

 blico

blico velut verſatus eſt, circa divina tradenda dogmata occupatum eundem fuiſſe in aprico eſt. Et ſub iſta doctoris perſona in quorumvis incurrit oculos; cum Salvatoris, quod ſimul obibat, munus (Joan. I. 29.) non niſi illis cognitum eſſet, qui Prophetarum in hanc rem oracula ad ipſum adplicare noſſent. Porro ad ſtabiliendam ſuam in hoc docendi munere autoritatem neceſſum habuit Chriſtus ejusmodi factis, quæ non niſi à divina virtute proficiſci poſſunt, fidem doctrinæ ſuæ adſtruere; idque partim quia abolendi erant ritus & ipſi quondam divinitus ſanciti; partim quia doctrinæ ab ipſo traditæ præcipua capita humanæ rationis captum ſuperabant. De cætero modus docendi ab ipſo adhibitus ab omni fuco, & adſcititio cultu alienus fuit, ut nihil affectati, nihil quod ſuſpicionem fictionis movere poſſet, adparerèt. Nativa heic & puriſſima ſimplicitas, ſed cui tanta efficacia ineſt, ut quicquid ab hominibus inventum eſt cultus perſvadendis auditorum animis, ſi cum Salvatoris noſtri dictione comparatur, putidum

dum plane ſit, & inſipidum. Sed nec externum quoddam adminiculum promovendæ ſuæ doctrinæ ab ipſo adſcitum reperitur. Non imperio juſſuque humano homines ad illam percipiendam & amplectendam compulſi. Qui capere poteſt, capiat; qui au-" res habet ad audiendum, audiat, aliquoties ab ipſo ingeminatum legimus. Scilicet quia Deus non vult obtorto collo homines in cœlum rapere, & Dimacharum Gallicorum hoſpitationibus in ſalutis viam eosdem pertrahere; ſed ſalutis media tali modo proponere placet, ut eadem reſpuere penes hominem adhuc ſit, ipſeque ſuæ perditionis cauſa eſſe poſſit. Pariter nec oſtentato aliquo emolumento, mundanisque illecebris hominum animos ad ſe pertrahere inſtituit; quin adverſa potius, calamitates, perſecutiones, afflictiones ſectatoribus ſuis denunciavit, præmiorum maxima parte ad alteram demum vitam reſervata, non minus, quam pœnis, quæ doctrinam ipſius adſpernantes manſuræ ſunt. Quod ipſum intrinſecam doctrinæ Chriſti efficaciam ac nobilitatem arguit; cum alias ho-

mines præcipue per ea moveri ſoleant, quæ in ſenſus incurrunt, & ſtatim repræſentantur: in futurum prominentia non niſi langvide, & intercurrente ſubinde dubitatione animos vellicent. Eſt autem & illud circa modum docendi à Chriſto adhibitum obſervandum, quod docuerit, uti Matthæus VII. 29. loquitur, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, ut poteſtatrm habens, non uti Scribæ, id eſt, qui non ad traditiones & autoritates veterum Magiſtrorum provocaret, aut purum exegeten & interpretem legis ageret; ſed qui pro imperio, & velut poteſtatem præſcribendi habens ad inſtar legislatoris dogmata ſua auditoribus proponeret; Sic volo, ſic jubeo; cuique adeo nemo refragari deberet. Et hoc ipſo Chriſtus cum officio Doctoris poteſtatem regiam conjunxit, dum ampliſſima præmia ſpondet doctrinam ſuam amplexantibus, intra æternas miſerias relictis, qui eandem negligunt. Qui non " credit, jam non condemnatus eſt. Id quod " circa alias veritates ſpeculativas ſecus habet, quæ fere impune ignorantur. Huc imprimis

facit

facit locus Joannis XVIII. 37. Scilicet quod Chriſtum perdere vellent Judæi, cauſa erat, quia doctrinam ejus averſabantur, eundemque Meſſiam promiſſum agnoſcere nolebant. Quo minus autem in ſuo foro ipſum peragere reum poſſent, ubi forſan colorem aliquem calumnia repertura fuerat, jus gladii tunc iſtis ademtum obſtabat. Unde rebellionis crimen confingunt, veluti regnum populi Judaici ab eodem affectaretur. De hoc cum Jeſus à Pilato examinaretur, non negavit, ſed confeſſus eſt confeſſionem bonam. 1. Tim. VI. 13. Regnum ſibi eſſe non de hoc mundo, ſeu quod ſimile ſit aliis imperiis, quibus reges in ſubjectos populos utuntur. Nam ſi idem ex eo Principum genere foret, miniſtri ipſius, non imbellis diſcipulorum turba, ſed validisſimæ Angelorum legiones, ad juſſa ipſius obeunda excubantes (Matth. IV. 11.) defenſuræ dominum ſuum fuerant, ne in Pilati manus traderetur. Et cum Pilatus inſtaret; ipſum utique Regem ſe profiteri, agnovit id, Regem " ſe eſſe, ſed veritatis, cui ut teſtimonium fe- "

rat, in mundum veniſſe. Joan. l. 17. Ea confeſſione edita Pilatus agnovit, id negotium non eſſe ſuæ cognitionis. Quid eſt veri-" tas? quaſi dicas, ſi haut alium te, quam veritatis doctorem & ſtatorem fers, nil mihi tecum eſt; cum veritas imperio humano non ſubſit. Nam in Imperio Romano, ex tam multis populis compoſito, ſentire cuique uti volebat, & Numen colere ſuo more licebat. Id quod patet inter alia ex Actor. XVIII. 14. 15. XXIV. 29. XXVI. 31. 32. Athenagoræ Apologia L. 1. D. " de Collegiis & Corporibus. Unde & Pila-" tus dimittere eundem conſtituerat, ni demum innocentis ſupplicio furorem Judæorum demulcendum ſatius duxiſſet. Hac autem confeſſione edita reſpondere Salvator amplius Pilato nolebat, quia hic eam veritatem cognoſcendi deſiderio nullo tenebatur. Eſt igitur Regnum Chriſti Regnum veritatis, in quo ipſe per veritatem animos hominum ad obſequium ſuum pertrahit. Cujus ea virtus eſt, ut iis artibus & mediis, quibus imperia civilia ſubjectos ad obedientiam adſtringant, opus

pus non habeat. Eoque ad iſtam veritatem propagandam & conſervandam non opus fuit ſtatu aliquo mundano, ſicuti & propter alias veritates humanas & Philoſophicas ſtatum aliquem formare opus non eſt. Nam veritatis indoles eſt, ut intrinſeca vi animis hominum influat, modo dextre proponatur, oſtentato ſimul fructu, quem eadem producere apta ſit. Cui in veritate à Chriſto tradita peculiariter accedit divina quædam virtus & gratia, etiam ad illa amplectenda animos ſubigens, quæ alias ſupra captum rationis videbantur.

Apoſtoli fuerunt propagatores doctrinæ à Chriſto traditæ.

§. 18. Iſthoc in regno veritatis Chriſtus poſt exutam à ſe humanam converſationem ſubrogavit ſibi Apoſtolos, ſed longe diſpari dignationis gradu, non velut Reges, ſed miniſtros & præcones veritatis à ſe traditæ. „Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos.“ Joan. XX. 21. Quomodo autem Pater miſit Chriſtum? Nempe uti eſt apud Jeſaiam „LXI. 1. Luc. IV. 18. ad evangelizandum pau-„peribus, ut ſanaret contritos corde, ut præ-„dica-

dictaret captivis remiſſionem. Ut tamen dignatio Regis veritatis penes ſolum Chriſtum foret. Ne vocemini Magiſtri. Unus e-" nim veſter eſt Magiſter Chriſtus. Matth." XXIII. 10. Cum illi miſſi ſint, ut gentes doceant ſervare illa omnia, quæ Chriſtus ipſis præcepit. Paulus Actor. XX. 24. functionem ſuam vocat miniſterium quod accepit à Do" mino Jeſu ad teſtificandum Evangelium" gratiæ Dei. Unde & ſummus inter iſtos" gradus eſt Apoſtolorum, Epheſ. IV. 11. quod" vocabulum miſſum ab altero notat. Sic ut ne hi quidem pro imperio & pro autoritate dogmata propoſuerint, ſed à Chriſto accepta alios edocuerint. Hos cum propter mortem Salvatoris conſternati eſſent, & puſillanimes facti, effuſa Spiritus Sancti gratia ſingulari modo confirmavit, ut in publicum prodire, & doctrinam iſtam, frementibus quantumvis Judæis, divulgare auderent, periculorum ſecuri, quæ hoc nomine ipſos manſura erant. Et quia ad propagandam aliquam doctrinam maximo eſt impedimento diverſitas

tas lingvæ,(Vid. 1.Corint.XIV.9.)ideo Apoſtolos in feſto Pentecoſtes dono lingvarum inſtruxit Spiritus S. ut per harum diverſitatem gentes in unitatem fidei congregentur; cum alias imperiorum conditoribus inter artes ſit, unitatem lingvæ in ſuis civitatibus procurare. Ubi & illud notandum, inter populos, quorum lingvis Apoſtoli loquebantur, Actor. II. recenſeri quoque nonnullas eorum, qui ſub Parthico erant imperio, quod tunc non minoribus odiis ab imperio Romano diſſidebat, quam nunc Germanicum à Turcico. Ita non obſtante internecino inter diverſos populos odio, per quod, ut in unum ſtatum coaleſcerent, inepti erant, nulla aut difficili communicatione, unitas tamen doctrinæ in eos introduci poterat, ut uno Regno veritatis continerentur.

Apoſtolis poteſtas docendi divinitus eſt collata, ab imperio humano haut dependens.

§. 19. Circa exercendum autem docendi officium Apoſtoli ſane majori pollucrunt poteſtate, quam qui ſcientias humanas profitentur, qui publice docendi munus ſibi arrogare non poſſunt, niſi expreſſo aut tacito

G con-

conſenſu ſummi imperii civilis; è cujus placito & iisdem conticeſcendum eſt. Id quod circa Apoſtolos ſecus fuit, quorum poteſtas docendi à Chriſto collata imperio civili haut fuit obnoxia, ut ſilere hoc loqui vetante, aut alterare ſuam doctrinam tenerentur; ac ſi ejusmodi juſſa adſpernarentur, haut ideo in majeſtatem imperantium peccaſſe cenſeri deberent. Eam ob cauſam Chriſtus, quando Apoſtolos in poſſeſſionem velut ſui muneris immittit, ita præfatur, Matth. XXVIII. 18. Mi-" hi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra." Per quam poteſtatem quod non intelligatur ejusmodi facultas, quæ per modum humani imperii ſe exſerat, ſed poteſtas homines ad ſalutem æternam deducendi, & ad eum finem media conſtituendi, oſtenditur Joannis XVIII. 23. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis," ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam." Hæc eſt autem vita æterna, id eſt, medium" ejus adipiſcendæ, ut cognoſcant te ſolum De-" um verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum." Et Lucæ X. 10. Qui vos audit, me audit: &"

qui

qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me "
ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Ita nul- "
lo interdicto humano prohiberi poterant Apoſtoli, quo minus in univerſum orbem irent, & doctrinam ſibi à CHRISTO traditam populos docerent, iſtamque admittentes baptizarent, ſeu initiarent, & velut Sacramento adigerent. Ac ut hujus poteſtatis, doctrinæque ſuæ fidem facerent, dono miraculorum ſimul fuere inſtructi. Quo tamen non amplius opus eſt, poſtquam iſta doctrina paſſim fuit propagata, & à plurimis accepta. Sicut v. g. Principes edicta ſua inter tubarum clangores publicare ſolent; qui non repeti ſolent promulgatione ſemel facta. Tali igitur autoritate inſtructis non potuit recte objici illud, quod Athenienſes Paulo exprobrabant, Actor. XVII. 18.
Quid vult ſpermologus hic dicere? neque "
mali quid intentari, quod veteres & receptos ritus abolitum irent. Iidemque recte adſpernati ſunt interdicta ſummorum imperantium talem doctrinam tradi prohibentium; quod

Deo magis oporteat obedire quam homini- "
bus. Actor. IV. 19. V. 29. Ac ſi maxime ſummi "
imperantes ob ſpreta ſua mandata in corpus ſæviant, ideo tamen doctrina Chriſti non fuit abneganda. Matth. X. 28. 32. 33. Unde ſi qui imperantes doctrinæ ſe Chriſtianæ oppoſuerunt, tantum abeſt, ut actum aliquem legitimum imperii civilis exercuiſſe cenſendi ſint, ut potius majeſtatem divinam læſerint, velut violatis ejusdem legatis, cum etiam ab hominibus miſſi inviolabiles habeantur.

Apoſtoli nihil exercuerunt imperii.

§. 20. Præter hanc poteſtatem Evangelium annunciandi, etiam ingratiis ſummorum imperantium, nihil penes Apoſtolos imperii aut coactionis deprehendimus. Equidem aliquando cum docendi munere conjunctum eſt quid coercitionis, in puerili cumprimis informatione; ſed quod à poteſtate patrum, aut ab his in alios translata promanat. Ab Apoſtolis autem docendæ fuerunt gentes, id eſt, homines ſui juris, & puerili diſciplina ſuperiores. Et quid vi adhibita efficerent adverſus integros populos ac civitates,

iner-

inermes, ſinguli fere, aut bini? Arma militiæ "
noſtræ, inquit Apoſtolus 2. Cor. X. 6. non car- "
nalia ſunt, ſed potentia Deo ad demolitio- "
nem munitionum, quibus conſilia demoli- "
mur, & omnem celſitudinem, quæ extolli- "
tur adverſus cogitationem Dei, & captivam "
ducimus omnem cogitationem ad obedi- "
endum Chriſto. Quæ arma & latius enu-
merantur 2. Corinth. VI. 4. ſeqq. tolerantia
multa, afflictiones, neceſſitates, anxietates, "
plagæ, carceres, labores, vigiliæ jejunia; puri- "
tas, ſcientia, benignitas, Spiritus Sanctus, cha- "
ritas non ſimulata; ſermo veritatis, potentia "
Dei, arma juſtitiæ. Add. Epheſ. VI. 11. ſeqq. 2. "
Corinth. VIII. 8. IX. 7. Coloſſ. I. 23. 25. 2. Theſ-
ſalon. III. 12. 14. 15. Equidem in parabola de
convivio Luc. XIV. invitatores jubentur con-
vivas compellere ad intrandum, ſeu neceſſi-
tatem adferre, ſed non talem, quæ vi metuque
conſtat, aut qua obtorto collo homines rapi-
untur, ſed qualis invitationi ad convivium
quadrat, rogando, hortando, Majeſtatatem
convivatoris, convivii illecebras oſtentando.

Sic Paulus 2. Corinth. V. 29. dicit; Nomine "
Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo "
vos obſecrante per nos. Rogamus pro Chri- "
ſto, reconciliamini Deo. In aperto autem "
eſt, legatos nihil imperii habere aut exercere in eos, ad quos mittuntur, ſed per rationes, & perſvaſiones negotia ſua expedire. Paſcendi quoque vocabulum Joannis XX. per ſe nihil imperii involvit, ſed idonei pabuli ſuggeſtionem notat; præſertim cum Salvator dicat; Paſce oves meas, non tuas; ne putet, ſe uti poſſe grege velut ſuo; ſed ut ad easdem leges ſe adſtrictum ſentiat, quas Jacobus ſibi ipſe dixerat Geneſ. XXXI. 30. 39. 40. Denique diſerte Salvator noſter, Matth. X. 14. 23: Quicunque
non exceperit vos, neque audierit ſermones "
veſtros, exeuntes ex ædibus & civitate illa ex- "
cutite pulverem pedum veſtrorum, ultione "
ſpreti Evangelii ad diem judicii rejecta. Id quod re ipſa expreſſit Paulus Actor. XIII. 51. XVIII. 6. Illæ autem diſpoſitiones ſeu ſtatuta, quæ leguntur 1. Corinth. XI. 2. ſeqq. usque ad 22. 33. 34. 1. Corinth. XIV. 1. Timoth. II. 8. ſeqq.

V. 9.

V. 9. & ſi quæ alia ſunt, proprie non proveniunt ab imperio, aut poteſtate legislatoria, ſed à munere docendi, & inter præcepta moralia locum ſortiuntur.

§. 21. Sed an non ſaltem obliquo modo imperii quid exercere potuerunt Apoſtoli, & eorum ſuccedanei hactenus, ut tanti pretii doctrinam, à qua ſalus hominum dependebat, hiſce ſubtraherent, ni in aliis quoque rebus ipſorum juſſis obtemperarent? Quanto enim obſequio non redimendum fuerit doctrina potiri poſſe, qua via ad cœlum panditur, cruciatus æterni effugiuntur? Enimvero Apoſtolis cauponationem ejusmodi in mentem venire potuiſſe improbum fuerit credere, qui, quæ gratis acceperunt, gratis quoque dare gavisi ſunt, & execrabile flagitium duxere, Simonem talia licitari auſum. Pauli dictum eſt 1. Corinth. IX. 16. Si evangelizem, " non eſt quod glorier; neceſſitas enim mihi " incumbit. Væ autem mihi eſt, niſi evange- " lizem. Quin nec plane locum habere poteſt ejusmodi cauponatio. Nam uti ignoti nulla cu-

An indirecte munus docendi habeat vim imperii?

cupido; ita ſi deſiderio Evangelii accendere velis alium, id ipſi fuerit exponendum. Sed hic caſus nullo modo metuendus erat ab illis, quibus vita minus cara habebatur, quam commiſſam divinitus functionem negligere. Poſt ſemel autem promulgatum Evangelium ſi vel maxime unius civitatis ſacerdotes inter ſe conſpirent prædicatione, ſacrorumque adminiſtratione abſtinere, niſi in certa eorum poſtulata reliqui cives conſenſerint, nihil tamen efficient, cum ſi inſanire pertendant, alii posſint inveniri, qui miniſterio fungantur. Neque enim Chriſtus ſuam doctrinam penes ſolos ſacerdotes eſſe voluit, ab his de manu in manum tradendam, ſed codice eam conſignari voluit, qui non à certo collegio paucorum cuſtodiendus, ab iisque ſolis inſpiciendus eſſet, ſicut Romæ libri Sibyllini; ſed quem omnibus evolvendi jus foret. Sic ut ex illo aliis quoque doctrinam Chriſtianam haurire liceat, eamque informationem capere, quæ obeundo Eccleſiæ miniſterio ſufficiat. Quodſi autem extraneus quispiam ſacerdos ſacrorum

rum uſu civitati alicui interdicere aggrediatur, nemo talia auſa curabit, niſi vecordi plane ſuperſtitione laboret. Cujus rei noſtro ſeculo illuſtre dedit exemplum Reſp. Veneta, quæ utut ritui Romano addicta, inſuper habito Pontificis Romani interdicto, ſacerdotes ſacra uti ante exercere juſſit.

An claves præbeant legitimam cauſam ſtruendo imperio?

§. 22. Altioris indaginis eſſe videtur, quod Salvator noſter Petro & reliquis Apoſtolis claves regni cœlorum commiſiſſe dicatur, " cum hoc effectu, ut quod ab hiſce in terris ſolvatur, ligeturve, idem quoque in cœlis ſolutum ligatumve ſit. Matth. XVI. 19. Joan. XX. 23. " Quanti autem eſt, aditu cœlorum arcere poſſe peccatores; aut noxa ſolutos eosdem ibidem recipere? Aut quid non obſequii extorquere quis poſſit ab homine, ſaltem gravioris peccati reo, quæ magna pars eſt, ſi iſte non alia lege hunc noxa exſolvere velit, quam promiſſo obſequio, aut præſtito certo poſtulato? Heic igitur primo diſpiciendum eſt, quid metaphorica dictio claves regni cœlorum heic " notet; quam diverſo ſenſu in divinis literis ac-

Quid notetur per Claves?

cipi

cipi obſervamus. Apocal. I. 18. Filius Dei cla- "
ves ſe dicit habere inferorum & mortis. "
Id quod aliqui explicant de poteſtate animadverſionis & pœnarum; quaſi dicat: Ego habeo peteſtatem perdendi impiorum corpora & animas in inferno. Ut iſte locus ſit parallelus Matth. X. 28. Nec tamen incommode "
notari poſſit ea dictione facultas liberandi à morte & inferno, ac deſtruendi vim mortis & inferni. Lucæ XI. v. 52. Scribæ dicuntur "
habere clavem cognitionis. Quod alii ex- "
plicant de officio docendi ſapientiam. Poſſis etiam capere de ipſis divinis literis, fonte illo cognitionis & ſapientiæ, cujus interpretationi ſcribæ iſti peculiariter vacabant. Apocal. III. 7. Filius Dei dicitur habere claves Davidis, quo "
aperiente nemo claudat, & quo claudente nemo aperiat. Add. Apocal. IX. 1. XX. 1. A- "
pud Jeſaiam XXII. 22. Eliacimo Hilkiæ filio "
imponendæ humeris dicuntur claves do- "
mus David, ut claudat, & nemo aperiat, ut a- "
periat, & nemo claudat. Quo loco vox clavium non notat poteſtatem aliquam deſpo-

ti-

ticam, ſed miniſterium, ſeu functionem miniſterialem; qualis eſt œconomorum, quales ſe ſuosque collegas dicit eſſe Paulus 1. Cor. IV. 1. Quibus dictis inter ſe collatis in genere dici poteſt, illum alicujus rei claves habere, qui habet medium dictam rem obtinendi, aut ad eam perveniendi; qua poteſtate autem circa ejus medii uſum aut adminiſtrationem idem gaudeat, ex aliis circumſtantiis dijudicandum fuerit.

§. 23. Reſtringitur porro iſtarum clavium uſus ad remiſſionem & retentionem peccatorum. Remotis quippe peccatis, ſeu poſita peccatorum remiſſione, cui reliqua ſalutis media conjuncta intelliguntur, regni cœlorum aditus pateſcit. Remanentibus peccatis, & reatum ſuum exſerentibus, cœlum clauſum manet, in quod nihil impurum intromittitur. Quæ ergo partes, & quæ poteſtas Apoſtolorum circa remiſſionem peccatorum fuerit, ut intelligatur, primo diſpiciendum, quid remittere peccatum ſit, quid idem retinere? Qui igitur delictum admittit, rea- *Quid ſit remittere peccata?*

tum contrahit tam apud legislatorem, cujus autoritas violata, quam apud eum, qui peculiariter iſto delicto læſus fuit. Aliquando & delictum aliquod totam ſocietatem tangit hactenus, quia exiſtimationem ejusdem apud alios minuit, quod ſæpe crimine ab uno diſcantur omnes. Ex hoc reatu legislatori, læſo, ac toti ſocietati naſcitur jus ad exigendam eo nomine à peccante ſatisfactionem; prorſus uti contracto ære alieno creditori naſcitur actio à debitore ejus reſtitutionem exigendi. Quo reſpectu peccata in Divinis literis debita vocari ſolent. Duplex autem iſta actio, & quandoque triplex, quæ ex eodem delicto diverſis perſonis naſcitur, ſeparatim quælibet ſubſiſtit, nec una extincta altera ſtatim ſimul extingvitur. Nam uti Deus non remittit debitum, niſi peccans læſo ſatisfecerit, Matth. V. 23. 24: ita licet quis cum læſo transegerit, haut eo minus apud Deum remiſſio peccati eſt quærenda; & ubi delictum exempli fœditate fuerit atrox, tota ſocietas deprecatione eſt placanda. Igitur remittere peccatum, eſt

remit-

remittere actionem, ſeu renunciare actioni, quam quis ex peccato illo in peccantem habebat. Et cui actio ex delicto competit, ille etiam proprie poteſtatem remittendi peccata habere dicitur, quantum ſeſe ejusdem actio extendit. Cæterum ea poteſtate remittendi peccata ne Deus quidem ita abſolute utitur, ut mero ex beneplacito & citra ullum alium reſpectum peccata quibusdam condonet, in aliis exſequatur. Nam nullo reſpectu promiſcue ex mero lubitu delicta condonare, eſt legum vim abolere: & fruſtra legem fert, qui licentiam impune iſtam violandi indulget. Ebræ. IX: 22. Matth. V. 18. Quia autem "læſo Numini ſatisfacere ſupra humanas vires eſt poſitum, admirabili temperamento juſtitiæ & miſericordiæ JeſusChriſtus eam ſatisfactionem præſtitit, quam qui fide amplexus fuerit, ei peccatorum remiſſio apud Deum obtingit. Læſos autem homines ad remittendam ſuam actionem, ubi lædens veniam petit, faciles jubet eſſe Deus, quod & ipſi quotidie venia apud Deum, communem patrem & dominum, o-

 pus

pus habeant. Imo & in alios quoque homines ſubinde impingant; qui ſi ſummo jure adverſus ipſos uti vellent, male cum iisdem ageretur. Igitur damus hanc veniam petimusq; viciſſim. Matth. VI. 12. 14. 15. V. 25. XVIII. 21. ſeqq. Luc. XVII. 3. Sed & circa peccata condonanda, quæ ſcandalo totam ſocietatem dehoneſtarunt, haut adeo rigidi eſſe debemus, ſi peccans ſeriam pœnitentiam præ ſe tulerit. 2. Corinth. II. 6. 7. 8. Eſt autem probe obſervandum, etiam de remiſſione, quæ à læſo fit, pronunciari à Chriſto Matth. XVIII. 18. „Amen dico vobis: quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt in cœlo.“ Nam ut hæc verba de ſolis diſcipulis intelligantur, antecedentia non permittunt, quæ non ad ſolos Apoſtolos, ſed quosvis fideles ſpectant.

Cujus vice Apoſtoli peccata remiſerint?

§. 24. Quodſi igitur ponamus, Apoſtolos illo peccato, cujus remiſſio ab ipſis fieri debebat, peculiariter non fuiſſe læſos, neceſſum eſt, ut ab ipſis ea remiſſio profecta ſit

vel

vel nomine peculiariter læſi, vel nomine ſocietatis, vel nomine legislatoris humani aut divini. Læſi jus ex delicto, velut è contractu invito quæſitum, nemo ipſo non conſentiente & mandante condonare poteſt; non magis quam alia ejusdem jura invito auferre valet. Eſt autem ea ſatisfactio ſeu compoſitio cum læſo ita neceſſaria, ut ea utique præcedere debeat requiſitionem veniæ apud Deum; ſaltem ut peccans ſerium propoſitum habeat eam ſatisfactionem, quantum poſſit, præſtandi. Prius reconcilieris fratri tuo, & tunc ve- "
niens offer munus tuum, velut ſymbolum "
Dei reconciliandi. Matth. V. 24. Add. Luc. "
XIX. 8. Sic Paulus Philemoni offert refuſionem damni ab Oneſimo eidem dati v. 18. Unde vulgata Confeſſionariorũ regula eſt: Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Nam ludibrium eſt, & contradictorium, pœnitentiam facti injuſti apud Deum profiteri, & nihilominus retinere velle fructum ex eo facto provenientem. Circa id, quod intereſt totius ſocietatis in atroci delicto partem ſuam utiq; habe-

habebant Apoſtoli. vid. 1. Corinth. V. 4. 5. "
2. Corinth. II. 10. XI. 29. Qua de re infra pluribus erit agendum. Id duntaxat hoc loco notaſſe ſuffecerit, hoc quicquid eſt autoritatis non exhaurire totam clavium poteſtatem. Nomine autem imperantium & legislatorum civilium delicta remittere penes Apoſtolos non fuit, quorum officium iſtorum jurisdictionem aut poteſtatem haut quidquam tangebat, aut eandem ullo modo imminuebat. Unde & obtenta apud Deum remiſſione iſti id quod ſua intereſt circa delicta perſequi poſſunt, ac ſolent. Reſtat igitur, ut Apoſtoli remiſſionem peccatorum nomine & vice Dei exercendi acceperint poteſtatem; id quod non obſcure inſinuant illa verba; Quicquid ſolveritis in terris, ſolutum erit in cœlo; "
& quicquid ligaveritis in terris, ligatum erit "
in cœlo.

Quo modo ſe habuerit illa facultas remittendi peccata?

§. 25. Ut autem recte intelligatur, quid & quantum poteſtatis iſta clavium traditione conceſſum ſit, inſpiciendum eſt, quomodo Chriſtus ipſe, dum in terris verſatus eſt, pecca-

ta

ta remiſerit? Eam in rem inſignis eſt locus Matth. IX. 2. Marc. II. 3. Luc. V. 20. VII. 47. 48. 49. 50. Ubi primo Salvator ſibi vindicat poteſtatem remittendi peccata teſtimonio miraculi, quod non niſi à divina virtute proficiſci poterat. Deinde nulla accuſatione aut defenſione, nulla quoque diſerta delictorum confeſſione præcedente, ſed ſolummodo „ conſpecta fide Chriſtus pronunciat, Remiſſa „ ſunt tibi peccata tua. Ac ſi univerſum Novum Inſtrumentum excutiamus, apparebit, neque Chriſtum, neque Apoſtolos remiſſionem peccatorum exercuiſſe per modum juriſdictionis, ac velut pro tribunali excuſſis delictis: ſed ubicunque fides adfuit, ibi & immediate remiſſio peccatorum ſecuta fuit. Qui credit, non judicatur; qui non credit, „ jam judicatus eſt. Et confeſſio, quæ remiſ- „ ſionem peccatorum tacite aut expreſſe præcedere debet, non eſt ſimilis illi confeſſioni, quæ à reo in judicio exigitur, quippe quam ſequitur condemnatio. Joſuæ VII. 19. 20. 21. Sed habet ſimilitudinem cum ea confeſſione,

 quam

quam morbo aliquo occulto laborantes Medico faciunt; quo is idonea medicamenta applicare queat. Pſalm. XXXII. 3. 4. 5. Adeoque pœnitentiam neceſſario comitatur, quod neque Deum, neque proximum læſum poſcere veniam queamus, niſi confiteamur peccata, id eſt, niſi agnoſcamus & profiteamur nos peccaſſe. Proverb. XXVIII. 13. 1. Joan. 1. 9. "
Jacob. V. 16. Denique Chriſtus & Apoſtoli, dum tempus gratiæ labitur, nulla judicii forma conſtituta, prædicarunt duntaxat, ſeu an- "
nunciarunt pœnitentiam & remiſſionem "
peccatorum. Sed conſummato ſeculo judicium ordinaria forma exercendum dicitur, ubi tribunali inſidebit ſummus judex, ſellæ ponentur pro aſſeſſoribus, libri aperientur, & quilibet ſententiam accipiet juxta opera ſua: Apocal. XX. 21. & quidem ſententiam definitivam, non velut in judicio reviſorio, ut duntaxat inferioris judicis ſententia confirmentur, aut reſcindatur. Cumprimis autem "
obſervandum eſt, non eſſe perpetuam & inſeparabilem connexionem & ſubordinationem

inter

inter remiſſionem peccati, quæ fit à Deo, & quæ fit abs quolibet homine; quod fieri poſſit, ut remisſione ab hominibus facta eadem apud Deum non ſequatur; puta ſi apud peccantem nulla fides adfuerit, aut duntaxat ſimulatio ſit; & ut vice verſa ſolutio facta ſit à Deo, retento peccato apud homines, puta ſi per duritiem veniam petenti quis ut ſatisfactionem offerenti ignoſcere abnuat, aut ſacerdos privatos ob affectus abſolutionem neget. Adeoque non ſemper, quando ſacerdos dicit, Remiſſa tibi ſunt peccata tua, etiam Chriſtus idem in cœlis dicit. Nam ſolus Deus fidem inſpicere, & cogitationes hominum poteſt: homines autem indicia, quæ in ſenſus occurrunt, ſequuntur; quæ ſimulari, & à vero animi ſenſu diſcrepare poſſunt. Unde & in foro humano ſufficit ad abſolutionem pronunciari ſecundum acta & probata, etiam quandoque à rei veritate diſcrepantia, idquod apud Deum non procedit, qui intima cordis inſpicit, inania ſimulationum aut diſſimulationum inſuper habet. Imo ſi

vel centies ſacerdos pronunciet, Re-"
miſſa tibi ſunt peccata tua, ubi fides abfuerit,"
nihil aget. Denique nec illud inſuper habendum, collatis in Apoſtolos clavibus DEUM
hautquidquam poteſtate ſua peccata remittendi, aut peccatores pœnitentes in gratiam
recipiendi abdicaſſe, aut eam non niſi mediantibus illis exercere voluiſſe, aut duntaxat extremam ſibi velut provocationem reſervaſſe,
adverſus iniquitatem ſacerdotum. Alias
enim incaſſum quotidie invocaremus Deum;
Et remitte nobis debita noſtra. Quæ"
omnia ſi probe conſiderentur, adparet, claves Regni cœlorum Apoſtolis commiſſas eſſe
nihil aliud, quam doctrinam Evangelii de remiſſione peccatorum per fidem in Chriſtum;
quam dum proponunt Apoſtoli credentibus,
eorum peccata remiſiſſe dicuntur, eodem ſenſu, quo iidem ſalvare homines dicuntur, qui-"
bus Evangelium credentibus annunciant.
1. Timoth. IV. 16. Et vice verſa, quibus E-"
vangelium annunciant non credentibus, illos
ligare dicuntur, ita ut & in cœlis ligati ſint,

jux-

juxta illud Joannis III. 18. Reſerarunt igitur " Apoſtoli Regnum cœlorum, quando annunciarunt credentibus gratiam Dei & remiſſionem peccatorum per Chriſtum: occluſerunt illis, qui eam doctrinam per infidelitatem adſpernati ſunt. Etſi peculiariter alicui ea doctrina Evangelii per miniſtrum Eccleſiæ adplicetur, is eſt ſenſus; Si credis, prout præ te fers, annuncio & confirmo tibi, peccata tua tibi remiſſa eſſe per & propter Chriſtum, ita ut nunc certus eſſe poſſis, eadem & tibi in cœlis ab ipſo Chriſto remiſſa eſſe: Si non credis, eadem tibi retenta ſunt. Neceſſario quippe nexu fidem conſequitur remiſſio peccatorum etiam ante pronunciatam ſacerdotis abſolutionem; ſic ut ab arbitrio humano hautquidquam dependeat, credenti remiſſionem peccatorum adplicare velit, an minus. Sed qui credit, jam coram Deo juſtificatus eſt; etiamſi forte abſolutionem ſacerdotalem obtinere impeditus fuerit. Quæ cum ita ſint, patet ex intentione Salvatoris claves illas non debere eſſe inſtrumentum, aut

medium parandi imperium, aut terrenum aliquod emolumentum. Nam Chriſtus juſſit Apoſtolos prædicare remiſſionem peccatorum, & quod gratis acceperant, gratis dare; non autem verbum Dei cauponari. Nec iſti per prædicationem homines fecerunt ſibi ſubjectos, ſed Chriſto. Unde & indignabatur Paulus, quod aliqui ab ipſo, aut Apollo apud Corinthios denominari ſuſtinerent. 1. Corinth. I. 12. 13.

An Petro aliqua heic prærogativa conceſſa.

§. 26. Quicquid autem poteſtatis aut muneris id eſt, æqualiter idem in omnes Apoſtolos fuit collatum, nulla cujuspiam prærogativa, ſaltem ex quo imperium aliquod ſibi fundare poſſit. Neque enim in palmariis locis, ubi autoritas muneris Apoſtolici in ipſos confertur, ullum veſtigium diſparitatis cujusdam inter ipſos adparet. Matth. XXVIII. « 18. 19. 20. Joh. XX. 21. 22. 23. Add. Matth. « XXIII. 8. ſeqq. Luc. XXII. 26. 27. Ioan. XIII. 14. « 15. 16. Galat. II. 9. 14. Et dictum Matth. XVI. 18. « quo ſe tantopere jactant ſectæ Romanæ addicti, ſane nihil continet, ex quo Petro, multo

to minus Epiſcopis Romanis primatus aliquis in univerſas Eccleſias extrui queat. Confeſſus erat Petrus d. l. Jeſum eſſe filium “ Dei vivi. Præclara confeſſio, & ob quam iſti merito velut acclamari debeat, Tu es “ Petrus; q. d. macte iſta confeſſione Petre! “ Non tamen ut ideo tam inſignem, qualis fingitur, prærogativam præ reliquis mereri poſſet. Nam neque ſuo duntaxat nomine iſtam edidit Petrus, ſed omnium eorum vice, quos Chriſtus tunc allocutus eſt. Sicuti & expreſſe idem dicit Ioannis VI. 69. “ Nos credidimus, & cognovimus, quod “ tu es Chriſtus filius Dei vivi. Neque pri- “ mus eam confeſſionem Petrus edidit, ſed ante eum Ioannes Baptiſta, Ioan. I. 34. 36. & Andreas, ibid. 42. & mox Philippus atque Nathanael; ibid. 45. 49. Quin nemo ſe Chriſti diſcipulum ferre potuit, niſi edita hac confeſſione. Vid. Matth. X. 32. 33. Ioan. XI. “ 27. Actor. IV. 12. VIII. 37. IX. 20. 22. Tum “ ut oſtenderet CHRISTUS, quanti momenti foret ea confeſſio, addit;

ſuper

ſuper hac petra ædificabo Eccleſiam meam; " id eſt, hæc doctrina, quod Jeſus ſit Filius Dei vivi, erit fundamentum & lapis velut angularis, cui ſuperſtruendum eſt myſticum ædificium Eccleſiæ, ſeu cœtus eorum, qui nomen Chriſti profitentur. Ita ut idem, & non amplius hoc dicto contineatur, quam quod habetur Joan. XX. 31. 1. Joan. II. 22. III. 20. IV. 2. " nempe hoc: Fundamentalis articulus religionis Chriſtianæ eſt, quod Jeſus Nazarenus ſit Meſſias, idemque Filius Dei vivi.

An excommunicationi inſit vis imperii?

§. 27. Reſtat ut videamus; num aliqua vis imperii, qualis ad ſtatum formandum ſufficit, inſit poteſtati illi, ab Apoſtolis, & Eccleſia uſurpatæ, ad excommunicationem ſeu bannum infligendum? Id quod negandum eſt, ſi ſermo ſit de genuino ejus uſu, & ſcopo, ad quem iſta ab initio eſt inſtituta. Nam quod ea ipſa res, ſi quis eadem abuti non horreat, ambitioni, & iniquo jugo ſimplicibus ſtruendo inſervire queat, ipſa experientia ſatis loquitur. Videtur autem non leve diſcrimen eſſe inter excommunicationem Judaicam, qua quis

quis Synagoga excludebatur, & eam, quæ Chriſtianis initio fuit uſurpata. Apud Judæos cum totus populus una cum imperantibus eandem religionem profiteretur, & hæc ſtatui innexa foret, fieri poterat, ut excluſio à Sacris alios quoque effectus in ſoro humano produceret, adeoque indolem pœnæ humanæ & civilis haberet, ac infamiam ſimul civilem produceret. Prout & in ea Republica non pauca ad religionem ſpectantia pœnis humanis ſancita reperiuntur. Sed cum neque Salvator noſter & Apoſtoli quid poteſtatis civilis exercuerint, & cœtus Chriſtianorum primitus alieno imperio obnoxii egerint, excommunicatio, bannumve, & quicquid erat diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nullum potuit effectum producere, qui ad conditionem alicujus civilem pertingeret, ac pœnæ humanæ proprie dictæ indolem & vim haberet. Id quod clarius patebit, ſi loca Novi Inſtrumenti, ubi de hac re agitur penitius excutiantur. Matth. XVIII. 15. 16. 17. Si pec-„ caverit in te frater tuus, vade & argue eum „

inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lu- "
cratus es fratrem tuum: Sin vero te non audi- "
erit, adhibe tecum adhuc unum aut duos; "
ut in ore duorum aut trium teſtium conſiſtat "
omne verbum. Quodſi non audierit eos, "
dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit "
tibi velut Ethnicus & publicanus. Sane ex "
hocce loco nihil imperii aut jurisdictionis infertur; ſed oſtenditur modus controverſias componendi Chriſtianis dignus. Prorſus uti Paulus 1. Corinth. VI. circa res litigioſas in fra- "
trem potius compromittere, aut plane injuriam pati jubet, quam apud infidelium tribunalia litigare, non ſine proſtitutione nominis Chriſtiani. Quo & ſpectat illud Matth. V. "
40. Sic quanquam alias, qui alterum læſit, apud læſum prius ſuper ſatisfactione & reconciliatione agere debeat; tamen ſi iſte injuriam agnoſcere negligat, Chriſtus à læſo transactionis initium proficiſci vult; (Vid. Marc. "
XI. 25. Luc. VI. 27. Actor. VII. 60.) nec iſtum "
ſtatim coram judice reum peragendum, ſed privatam reconciliationem potius tentandam

dam, demonſtrata citra arbitrum injuria, num ultro ſatisfacere læſo, & cum eodem in gratiam redire velit. Si hoc modo nihil proficiatur, duos vel tres teſtes adhibendos, qui duritiem animi exuere ſvadeant, ac teſtari queant, à læſo nihil omiſſum gratiæ reducendæ idoneum. Si ne hoc quidem modo iſte expugnetur, ad totum fidelium cœtum ejus loci cauſam deferendam: (nam ut heic per Eccleſiam ſoli presbyteri intelligantur, nulla ratio ſubigit.) Si ne hujus quidem autoritati cedat, habe eum velut ethnicum & publicanum: Cui & injuria iſta non remittetur, velut quam agnoſcere, eoque nomine pœnitere, & præſtanda præſtare noluerit. Id eſt, ejus converſationem velut impuri hominis de vita. Id quod cuivis non ex vi alicujus imperii, ſed communis libertatis licet. Nam quod Ethnicorum & publicanorum converſatione extra negotia civilia neceſſaria abſtinuerint Judæi

tralatitium eſt. Alias autem ethnici & publicani conditio nihil in ſe habebat infamiæ, aut pœnæ civilis; & qui in Judæos tunc imperium obtinebant, ipſi ethnici erant, qui averſationem Judæorum flocci faciebant. Et è communi eſt libertate, quem velim in familiarem mecum converſationem recipere; à qua ut excludantur homines perverſo ingenio & pravis moribus ſapientes ſvadent, & cuique libero homini eſt integrum. Pari modo Apoſtolus devitari hominem hæreticum ju-“ bet, poſt unam & alteram admonitionem,“ ne quis ipſius pravis ſententiis inficiatur. Tit.“ III. 10. Add. 2. Theſſalon. II. 14. Qui tamen pœnam divinitus infligendam haut effugient. 2. Petri II. 1. 2. Galat. I. 8. 9. Pariter locus“ 1. Corinth. V. 1. ſeqq. 2. Corinth. XIII. 2. 10. de“ inceſtuoſo, quem Paulus Satanæ tradere conſtituerat, quocunque ſenſu capiatur, nihil jurisdictionis aut imperii involvit. Uti nec dicta 1. Corinth. VI. 9. ſeqq. 1. Timoth. I. 20.“ 2. Joann. v. 10. quæ tantum innuunt commu-“ nem libertatem, per quam penes quemlibet

eſt

eſt ejus converſationem declinare, quæ ſibi dedecus aut noxam allatura eſt, ſalva de cætero conditione, qua idem in civitate gaudet. Et quidem ita, ut ob vitioſos iſtos mores mundus non ſit deſerendus, id eſt, ut ideo " converſatio, quam vel muneris conditio, aut neceſſitas imperat, aut alia civilis vitæ ratio exigit, à nobis haut ſit abdicanda. Quæ ratio æque in homine vitioſo, qui Chriſtiani nomen gerit, quam in ethnico locum habet.

§. 28. Denique ſi inſtructionem inſpiciamus, quam Apoſtolis & diſcipulis ſuis præſcripſit Chriſtus, manifeſte adparebit, ad nihil minus, quam ſtatum aliquem formandum ipſos fuiſſe miſſos. Ad ſtatum requiritur imperium, ex quo promanat præeminentia unius præ altero, quæ ambitioni materiam præbet. Status quoque certos reditus exigit ſumtibus ejusdem tolerandis; unde avaritia ubi ſe jactet invenit. Aſt nihil magis laborare videtur Salvator, quam ut ambitionis, & avaritiæ contagio diſcipulos ſuos *Apoſtolorum inſtructio nihil imperii ſapit.*

arceat. Vid. Matth. XVIII. 1. 2. 3. 4. Marc. IX. 33. "
ſeqq. Luc. IX. 46. Matth. XXIII. 8. Joan. XIII. "
13. 14. Imprimis conſideranda eſt inſtructio, quam Chriſtus diſcipulis ſuis præſcribit, quando iſtos velut ſpeciminis cauſa cum dono miraculorum mittit ad ſolos Judæos. Matth. X. "
Etſi dubium non ſit, quin pleraque ab ipſis obſervanda fuerint, etiam quando poſt legationem ad omnes gentes ſuſcepturi erant. Ubi primum omnium interdicitur ipſis, ne doctrina, donoque miraculorum abutantur ad corradendas pecunias, quæ alias nervus rerum gerendarum habentur. Gratis accepi- "
ſtis, gratis date. Actor. III. 6. Aurum atque "
argentum non habeo. Quin ne obtentu "
neceſſariæ ſuſtentationis avaritiæ litare inciperent, etiam crumenam, aut binas tunicas, aut calceos, baculumve habere vetuit, contentos eo victitaſſe, quod ab auditoribus ultro ſuppeditaretur. Et quanquam iſta omnium ſarcinarum & impedimentorum remotio ad inſtantem duntaxat profectionem haut

lon-

longinquam & modici temporis pertineat: tamen in univerſum proventus, qui docendo Evangelio vacantibus merito tribuuntur, mercedis pro labore exhauſto nomine nuncupantur, ac ultra modeſtos ſumtus vitæ tolerandæ idoneos non porriguntur. Qui privati patrimonii modus eſt; & ad opes publicas, & quantæ ad ſtatum requiruntur, nihil facit. 1. Cor. IX. 11. ſeqq. Matth. X. 10. Luc. X. 7. 1. Tim. V. 18. qui locus proprie ad ſacerdotes ſpectat, ne pietatem in quæſtum vertant, & fugiant φιλαργυρίαν, ſtudium pecuniæ, velut radicem omnium malorum, adeoque & abuſuum atque ſuperſtitionum, quæ Romanam Eccleſiam inundaverunt. Tum ne numero terroris quid incutiant, bini duntaxat mittuntur. Marc. VI. 7. Ac ne vi doctrinam ſuam cuipiam obtrudant, ſed amica ſalutatione acceſſum ſibi parent, ac ſi quos doctrinæ ſuæ recipiendæ pronos offendant, hoſpitio eorundem fruantur, importune adſpernantes de-

deſerant, excuſſo etiam pedibus pulvere. Sequitur prolixa de imminentibus perſecutionibus prædictio, quas non oppoſita vi, ſed patientia ſuperare, demonſtrata innocentia avertere, aut fuga declinare jubentur. Add. Matth. V. 10. 11. Atqui ſtatum aliquem condituris pro regula eſt: Tu contra audentior " ito. Poſt Salvatoris noſtri ad cœlum adſcenſionem in univerſum orbem diſperguntur, prout cuique inſtinctus fuit, haut conſtituta aliqua velut ſede imperii, unde in ſingulos regimen, & quo referrent acta ſua, aut unde autoritatem & conſilium peterent; aut ubi velut centrum communicationis & correſpondentiæ mutuæ foret: cujus neque vola neque veſtigium in divinis literis adparet. Sed nec terrarum quid occupare poterant, cum verſarentur in locis, ubi jam imperia conſtituta erant. Nec à converſis ad ipſorum doctrinam exigere plus opum licebat; quam quantum eleemoſynarum rationem habebat. Nam plura erogare conantes ſine dubio per imperia civilia prohiberi poterant,

velut

velut imminuto jure tributa exigendi. Sicuti & ſi promiſcue omnes Chriſtiani, aut magna eorum pars exemplo quorundam Hieroſolymitanorum Actor. II. 44. 45. V. 4. bona ſua in commune conferre voluiſſent, ſummis imperantibus fas fuiſſet, inconſultos impetus coërcere, quod exinde reipublicæ opes inſigniter attenuandæ forent. Denique Apoſtoli homines ſedibus ſuis haut exciverunt, uti Moſes Iſraëlitas Ægypto dimovebat; ſed quietos & immotos eos prioribus honeſtis functionibus vacare permiſerunt, non alia mutatione allata, quam ut nova religione imbuerentur.

Regnum Chriſti non involvit imperiū humanum.

§. 29. Diſpiciendum porro eſt, annon doctrina Chriſtiana, quatenus animos hominum per fidem unit ſub obſequium Chriſti, per eam ipſam unionem producat ſtatum, qui imperio contineatur ejus generis, quod in civitatibus conſpicitur? Id quod negandum eſſe facile adparet, ſi conſideretur, quæ indoles Regno Chriſti aut Dei, Regnove cœlorum, his in terris exiſtenti, in divinis literis aſſignetur.

tur. Regnum ſane conſtituit unio fidelium ſub CHRISTO Rege, ſed quod non eſt de hoc mundo, adeoque nec paris naturæ cum illis ſtatibus, qui ſummo imperio civili reguntur. Rex ibi eſt Jeſus Chriſtus, qui in præſens oculis ſeſe mortalium ſubtraxit, & velut aulam ſuam in cœlis locavit. Subjectos ille civesque habet per totum orbem diffuſos, quicunque doctrinam ipſius viva fide amplectuntur; quos intrinſeca ejus doctrinæ virtus adverſus illecebras aut terrores humanos in officio continet. Quam ob cauſam etiam imperio aliquo civili in hoc Regno opus non eſt, quod ad ſolidam pietatem nihil facit. Nam non poteſt alteri gratiam DEI conciliare, nec in cive efficere internos illos motus, qui DEO maxime probantur, & citra quod exterior actus, quem vis imperii civilis forte extorquere valet, inanis habetur. Et cum Regnum CHRISTI ſit Regnum veritatis, imperio humano & coactione ad illud opus non eſt, quippe cum veritas prævia doctrina & accedente divina gratia placide ſeſe animis hominum inſinuet, cum præmia

pœ-

pœnæque, quæ eam doctrinam amplectentes aut adſpernantes manent, in futurum prominéant, poſt hanc demum vitam repræſentandæ. Quodſi alicui placeat ſingula dicta excutere, in quibus Regni Dei, Chriſti, aut " cœlorum mentio fit, nihil reperiet, quod ſta- " tum aliquem, aut imperium civili ſimile ſapiat. In idRegnum recipiendi pœnitentia ſe præpa- " rare debent.Matth.III.2.IV.17.Evangelium Re- " gni Jeſus prædicaſſe dicitur Matth.IV.23.IX. " 35. Virtutes,ac diſpoſitiones animorum in iis, " quos Chriſtus Regno ſuo idoneos, eoque nomine beatos prædicat,Matth.V.1. ſeqq.ad vir- " tutes civis in ſtatu aliquo mundano parum faciunt. Eo in regno parvus aut magnus voca- " tur, prout quisque præcepta Chriſti neglexerit aut ſervaverit. Matth.V.19. VII.21. Ejus Regni " juſtitiam ante omnia quærere jubemur Matt. " VI.33. Ejusdem Regni myſterium eſt ſingula- " ris operatio verbi divini Matth. XIII. 21. 31. " 33. 44. 45. 52. Intra limites hujus Re- gni dicuntur tolerari, qui ejusdem veri " cives non ſunt, ſed hoſtili potius in

iſtud animo: id quod in ſtatu aliquo mundano non indulgetur. Matth. XIII. 24. 47. Hujus Re-" gni claves in doctrina de remiſſione peccato-" rum conſiſtunt, Matth. XVI. 19. Sic quæ de ju-" re præcedentiæ in Regno Chriſti traduntur, à more Regnorum hujus mundi plane abhorrent. Matth. XVIII. 1. ſeqq. XX. 21. ſeqq. XXIII." 8. Marc. IX. 33. 34. X. 42. In Regnis mundanis" cuilibet integrum eſt jus ſuum perſequi; in Regno Chriſti nequam civis eſt, qui jus ſuum concivi ſuo non condonaverit. Matth. XVIII. 23." ſeqq. Regnum Chriſti etiam parvulorum eſt." Matt. XXI. 14. Marc. X. 14. In eo Regno laboran-" tes diſpar labor, par præmiũ manet. Matt. XX. 1." Id Regnũ adſpernantibus aufertur Matt. XXI." 43. cum regna mundana ſuperbos debellare ſoleant. A Judæis repudiatum gentilibus com-" municatur. Matth. XXII. 2. Ei fruendo requiri-" tur vigilantia Matth. XXV. 1. In mundanis Re-" gnis eo facilius cuique jus civitatis patet, quo eſt opulentior: In Regnum Chriſti difficile eſt divitibus intrare. Matth. XIX. 23. Marc. X. 23." Lucæ XII. 32. In Regnis mundanis boni eſt ci-"

vis

vis circa rem bonis artibus augendam induſtrium eſſe: id quod in Regno Chriſti inter poſtrema habetur. Luc. XII. 31. Inter præcipuas " cauſas, quare ſocietates civiles ſubierimus, eſt, ut bona nobis noſtra ſalva ſint. Atqui Chriſtus dixit: Qui non renunciat omnibus, quæ poſ- " ſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. " XIV. 33. Sic &, Non venit Regnum DEI cum " obſervatione; Neque dicent; Ecce hic, aut " ecce illic. Ecce enim Regnum DEI intra vos " eſt. Luc. XVII. 20. 21. Plura dicta accumulare " nihil attinet, cum ad hunc guſtum omnia reliqua ſint.

Num Eccleſia ſit ſtatus?

§. 30. Enimvero & ſi unio fidelium ſub Rege Chriſto, corpusque adeo illud myſticum, cujus caput Chriſtus, membra fideles ſunt, ſtatum non efficiat: nihilominus quæſtio adhuc reſtat; an non illa ipſa multitudo fidelium in his terris exiſtens inter ſe conſtituat ſtatum aliquem ſeu rempublicam, quæ uno imperio humano, aut quod humano ſimile ſit, contineatur? ſeu quod eodem redit: An Eccleſia ex intentione Salvatoris debeat eſſe ſtatus, ſeu Res-

 pub-

publica? Accipimus heic vocabulum ſtatus populari modo, pro ſocietate hominum independente, quæ ſummo imperio continetur & regitur. Cujus quæſtionis hic ſcopus eſt, ut, poſtquam demonſtratum fuerit, Eccleſiam ex intentione Chriſti & Apoſtolorum non fuiſſe, nec debuiſſe eſſe ſtatum, inde colligatur; eam Eccleſiam, quæ ſtatus eſt & qua ſtatus eſt, non eſſe à Chriſto. Ad hanc igitur quæſtionem penitius excutiendam primo obſervandum eſt, quæ ſit vocabuli Eccleſiæ in ſacris literis ſignificatio? Eſt igitur Eccleſia vocabulum è democratiis petitum, quo Græci notabant conventum, congreſſum aut concurſum populi ſeu plurium civium ad auſcultandum, conſultandum, decernendumve de negotiis civilibus; ab evocando derivatum, non quod ſemper notaret cætum minorem è majore aliqua multitudine evocatum, (nam & univerſos cives in eccleſiam ſeu concionem coire nihil repugnat;) ſed quod è privatis ædibus & commorationibus ad communem locum evocarentur. Sic ut ex prima originatione iſta vox non ſignificet ſta-

Quid in ſcripturis notet Eccleſia vocabulum?

ſtatum aliquem,ſed certam affectionem Reip. democraticæ; quippe cum conſenſum ſuum commode declarare multi homines vix poſſint, niſi in uno loco convenerint. Id porro vocabulum à LXX. Interpretibus adhibi-“ tum fuit pro conventu plurium hominum non ſolum cultus divini exercendi cauſa, ſed & qui aliam ob cauſam etiam pravam congregati fuerunt. Pſalm. XXVI. 5. Siracidos“ XXIII. 34. XXXVIII. 24. Actor. XIX. 32. 39. 40.“ Sic ἐκκλησιάζειν eſt convocare cœtum ad negotia civilia. Numer. XX. 8. 10. Joſuæ XVIII. 1. 2.“ Paral. XV. 9. XXXIV. 29. In Novo autē Inſtru-“ mento Eccleſia ut plurimū notat vel univerſam fidelium multitudinem, ubicunq; locorum agentem, vel cœtum fidelium unius provinciæ, oppidi, vel etiam privatæ domus, aut familiæ. Utroq; ſignificatu ſi Eccleſiæ attributa & actiones conſideremꝰ (ex his quippe in moralibus de alicujus rei indole judicari ſolet,) nihil inveniemꝰ, quod ſtatū arguat. Frequentiſſimū elogium eorum, è quibus Eccleſiæ componuntur, eſt, quod ſancti, & fratres, & redemti ſangvine Chriſti Dei adpellētur. Frequentiſſimæ actiones

au-

Quæ actiones Eccleſiæ in ſacris literis tribuantur?

audire verbum Dei, laudare Deum, preces " fundere, exercere opera charitatis, verſari in " timore Domini, jejunare, curam agere pau- " perum, Act. XIV. 23. Paulus & Barnabas in Ec- " cleſiis, quas per Aſiam plantaverant, dicuntur conſtituiſſe Presbyteros, χειροτονήσαντες per ſuffra- " gia cœtus creantes; quomodo in democratiis decreta fieri ſolent: ne pro imperio presbyteros Eccleſiis impoſuiſſe viderentur, ſed quos ipſi fidelium cœtus cupiebant, & probabant. Et nihilominus tali modo creati dicuntur à Spi- " ritu S. conſtituti paſtores Actor. XX. 28. Sicuti " 2. Paralip. XIX. 5. 6. à Joſaphato conſtituti præ- " fecti munus Domini dicuntur gerere. Ille " quippe etiam à Deo in officio aliquo poſitus dicitur, qui dotibus idoneis inſtructus legitima via ad officium pervenit, ſiquidem ipſum officium ſit Deo probatum. Eſt igitur actio Eccleſiæ conſtituere Doctores; quæ tamen " non eſt actio propria ſtatus. Nam id juris etiam privatum collegium, quod civitati ſubeſt, habere poteſt. Actor. XV. 2. Antiochena Eccleſia, oborto diſſidio ſuper quæſtione fidei, deputa-

vit aliquos, qui Eccleſiam Hieroſolymitanam
conſulerent, quos deputatos honoris gratia
fratres proſecuti extra urbem ſunt. Hieroſo-
lymis ea quæſtio ventilatur, & deciditur. «
Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. Deputa- «
re aliquos ad obeunda negotia juribus ſum- «
morum imperantium haut adverſa, conſu- «
lere alios cœtus ſuper controverſiis circa fi- «
dem, ejusmodi quæſtiones diſcutere, & de- «
finire actiones ſunt, quæ ſummum & inde-
pendens imperium non inferunt, ſed in priva-
tos quoque homines aut privata collegia ca-
dunt. Ubi quod expediendum ſuſcipitur, «
non pro imperio injunctum, ſed velut ultra-
neo conſenſu admiſſum habetur. Actor. VI. «
1. ſeqq. Eccleſia Hieroſolymitana elegit viros «
certos, qui eleemoſynarum curam haberent. «
Quæ actio privati collegii menſuram non ex-
cedit. Idem etiam de eo habendum, quod
frater χειροτονηθεὶς delectus ab Eccleſiis dicitur co-
mes Paulo peregrinationis. 2. Cor. VIII. 19. «
Actor. XX. 28. Eccleſia grex nuncupatur, qui
paſcendus ſit ab Epiſcopis puro Dei verbo, &

 quem

quem infeſtare ſoleant lupi, id eſt, viri perverſa loquentes, ut abducant diſcipulos poſt ſe; qui vigilantia & admonitione doctorum ſint arcendi. 1. Corinth. VI. 1. ſeqq. Eccleſiæ & " Chriſtianis ut talibus, non tribuitur aliqua jurisdictio; ſed ab Apoſtolo illis injungitur, ut ſi oriatur inter membra Eccleſiæ is ſuper negotio civili, eam potius ad fratres deferant è com-" promiſſo componendam, quam ut apud ethnicorum tribunalia litigando opinionem avaritiæ ſibi contrahant. 1. Corinth. VII. 17. ſeqq. " docetur; ingreſſu in Eccleſiam non aboleri perſonam, quam quis in vita civili geſſit, ſeu ſuſcepto Chriſtianiſmo non indui novam perſonam civilem, quæ priorem perſonam aboleat. Unde ſuſcepto Chriſtianiſmo ſervus " non fit liber; & civis non exuitur obligatio-" ne, qua antea ſummis imperantibus civilibus tenebatur. Rom. XIII. 1. ſeqq. Add. 1. Timoth. " V. 8. 14. VI. 1. 2. Quæ modeſtia in Eccleſia, " id eſt, in conventibus Chriſtianorum doctrinæ & Sacramentorum cauſa inſtitutis ſit adhibenda, docet Paulus 1. Corinth. XI. 18. ſeqq. "

XIV. 34. 40. Quæ in iſtis Eccleſiis ſeu cœ-“
tibus agitantur, iſthæc exprimuntur. 1. Co-“
rinth. XIV. 28. Pſalmi, doctrina, lingva, re-“
velatio, interpretatio, quæ omnia ad ædifi-“
cationem attemperanda ſunt. 1. Corinth. XII. “
28. inſignium in Eccleſia membrorum mu-“
nia hæc enumerantur: Apoſtoli, Prophetæ, “
doctores, poteſtates miracula edendi, dona “
ſanationum, ſubſidia, gubernationes, gene-“
ra lingvarum. Add. Epheſ. IV. 11. Quæ omnia “
ad Evangelii propagationem & confirmatio-
nem ſpectant; Et ab eodem ſpiritu proveni-
unt, qui unicuique diſpenſat ſicuti vult; & ſic
ut qui nobiliore dono eſt præditus, non ma-
gis ſe membrum corporis myſtici jactare
queat, quam is, qui minus ſplendidis do-
nis eſt præditus, aut idem in hunc imperii
quid affectare. Quin ut omnibus donis
ſit præſtantior caritas, quæ in quemvis
Chriſtianum cadere debet. Qvod Eccle-
ſiæ peculiariter incumbit tributi genus,
Eleemoſyna eſt. 1. Corinth. XVI. 1. 2. Co-“
rinth. VIII. 2. 3. 8. 1. Timoth. V. 16. quæ “

tamen pro imperio non exigitur. Quo & pertinet obligatio Eccleſiæ ad mercedem do- " ctoribus ſuis exſolvendam. Philip. IV. 15. 2. Co- " rinth. IX. 14. 1. Timoth. V. 18. 2. Corinth. XI. 28. " Paulus profitetur ſibi incumbere curam omnium Eccleſiarum, quæ verſetur circa ſuſten- " tandos infirmos & reprimenda ſcandala. 2. " Corint. XII. 13. negat Paulus, Eccleſiam Corinthiacam eſſe inferioris conditionis, quam alias Eccleſias ab iis plantatas, qui officii Apoſtolici dignationem prius quam Paulus acceperunt. Sicuti & in divinis literis nullum veſtigium extat ſubordinationis unius Eccleſiæ " ſub alia. Nec minus modicorum oppido- " rum, imo & privatarum familiarum congre- " gationes Eccleſiarum nomine appellantur, quam frequentiſſimarum urbium: ſicuti & particulares Eccleſiæ in Judæa Eccleſiæ Dei vocantur. 1. Theſſ. V. 11. 14. 2. Theſſ. I. 4. E- " pheſ. I. 22. V. 23. 24. 25. Coloſſ. I. 18. 24. Eccle- " ſiæ caput Chriſtus vocatur; quam ſibi ipſe " glorioſam reddidit, non habentem macu- " lam aut rugam, aut quidquam ejusmodi, ſed "

ut

ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis: ſanctifica-“
ta per redemtionem à Chriſto factam, &“
mundata lavacro aquæ.Eph.V.26.27.Add.1.Jo-“
an.III.5.9.Quæ in rectore Eccleſiæ alicujus par-“
ticularis qualitates requirantur,1.Timoth.III.2.“
ſeq.Tit.I.7.8.9.II.7.2. Tim.IV.2.ad facultatē docē-
di & puritatē morum referuntur; nec ulla inter
eas eſt,quæ propria ſit ejus,cui ſtatus alicujus re-
gimen incumbit: Monogamus,vigilans,ſo-“
brius,modeſtus,hoſpitalis, aptus ad docendū,“
non vinolentꝰ,non percuſſor, non turpis lucri“
cupidꝰ,æquus,alienus à pugnis,alienꝰ ab avari-“
tia, qui domui ſuæ bene præſit; qui mode-“
ſtos & morigeros habet liberos,non novitius,“
non inflatus; doctoris virtutes aut privati ho-“
minis ſunt. 1.Timoth.III.15.Eccleſia vocatur“
Domus Dei, & στύλος καὶ ἑδραίωμα, columna &“
fulcrum veritatis, ſicuti ad columnas leges“
& edicta affigi ſolent ab omnibus legenda.
Quanquam unus & alter Codex vetuſtiſſi-
mus iſta verba, Columna & ſtabilimentum“
veritatis ad ſequentem ſententiam referat:“
ita ut prior ſententia terminetur verbis Eccle-“

ſia

ſia Dei viventis. Inde nova ſententia inci-"
piat: Columna & ſtabilimentum veritatis, & "
citra controverſiam magnum myſterium "
eſt, Deus manifeſtatus eſt in carne. Ita ut "
hoc parallelum ſit dicto Matth. XVI. 18. Joan. "
XX. 31. Elogia Eccleſiæ exprimuntur Hebr. "
XII. 22. ubi vocatur Mons Sion, civitas Dei "
viventis, Jeruſalem cœleſtis, Panegyris my-"
riadum angelorum, cœtus primogenito-"
rum, qui adſcripti ſunt in cœlis, ubi eſt ju-"
dex univerſorum Deus, & novi fœderis "
mediator Jeſus, & Spiritus perfectorum ju-"
ſtorum. Apocal. II. III. laudantur egregia fa-"
cta, taxantur vitia Eccleſiarum Aſiæ, cum comminatione, amotum iri candelabrum ipſarum, ſeu Evangelii doctrinam iis ademtum iri, niſi reſipuerint; ſic ut ſingulæ particulares extingui queant. Hæc igitur omnia ſi expendantur, nihil occurrit, quod ſtatum aliquem & imperium mundanum, aut huic compar, arguat.

Primitivæ Eccleſiæ non potuerunt eſſe ſtatus.

§. 31. Sed nec deſunt rationes, ex quibus evinci queat, non potuiſſe ab Apoſtolis condi Eccleſias, quæ indolem ſtatus habe-

haberent, ſi vel maxime id voluiſſent; quod tamen nec neceſſarium fuiſſe, nec omnino debuiſſe fieri arbitramur. Cujuslibet ſtatus primarius finis eſt ſecuritas, ac ut conjunctis animis viribusque aliorum injuriæ arceantur. Quem ad finem inſigni virorum numero opus eſt, & quidem talium, qui ad vim arcendam idonei ſunt. Atqui iſtis quoque cœtibus Eccleſiarum vocabulum tribuitur, qui modico aliquo oppido, imo qui & una familia continebantur. Quin ſalvator noſter pronunciat; ubi duo vel tres congre-" gati fuerint in nomine ſuo, ſe fore in medio " eorum. Matth. XVIII. 20. Unde & Tertul-" lianus: Tres faciunt Eccleſiam, ſicut Col-" legium. Ubi autem Chriſtus eſt in medio," ibi utique ſufficientia erunt ſalutis media, verbum, miniſter, ſacramenta; adeoque ſcopus religionis Chriſtianæ obtineri poterit, ſi vel maxime quis non ſit conjunctus numeroſo alicui fidelium cœtui. Nec conjunctio cum tanta fidelium multitudine, quanta ad ſtatum conſtituendum requiritur, per ſe facit

aut

aut neceſſaria eſt ad finem religionis Chriſtianæ obtinendum. Seu ut quis ſalvus fiat, nihil intereſt, in magno an in modico cœtu vivat. Ex quo & illud conſequitur, ſi contingat etiam majorem partem alicujus Eccleſiæ deficere, reliquos tamen ſcopum fidei ſuæ haut eo minus aſſequi poſſe; ſecus atque in ſtatibus fieri ſolet, ubi deleta majore civium parte finis civitatis non amplius obtineri poteſt. Sicuti nec illæ qualitates civium, è quibus ſtatui inſigne decus aut robur accedit, in Eccleſia attenduntur hactenus, ut quis ideo bonus Chriſtianus haut habeatur, quia opibus, viribus, aut ſapientia parum polleat. 1. Corinth. I. 20. 21. 22. Deinde ad ſtatum aliquem condendum requiritur territorium aliquod, ubi ſedem fortunarum figere cives queant. Et qui jam ſub aliquo ſtatu degit, ſi novum ſe in ſtatum conferre velit, neceſſum eſt, ut vel in alium locum commigret, aut præſens imperium loci, ubi agit, excutiat. Unde Moſes abdicato Ægyptiorum jugo populum Iſraëliticum in deſertum Arabiæ ſubducebat. Sic Romulus no-

novum ſtatum conditurus Regum Albanorum imperio renunciabat, & qui novo ſtatui accedere volebant, deſertis ſuis oppidis Romam commigrabant. Atqui neque Chriſtus, neque Apoſtoli Chriſtianos in alias ſedes tranſtulerunt, ſed quemlibet ſub imperio, cui hactenus ſubjectus fuerat, degere permiſerunt, prioris domini jure hautquidquam imminuto. Unde ne numeroſiſſimi quidem Chriſtianorum cœtus in ſtatum aliquem aſſurgere potuerunt. Adeoque cum per profeſſionem religionis Chriſtianæ ſummorum imperantium jura, quæ in perſonas ac bona civium obtinent, haut tollantur aut imminuantur, neque unus duobus dominis ſervire queat, nulla velut materia ſupererat extruendo in mediis civitatibus ſtatui, quin nec ejusmodi quidem collegio, quod ſummi imperantis juribus aliquid decerperet, Rom. XIII. 1. ſeqq. “ 1. Petr. II. 13. Porro quanta opum vis ad ſu-“ ſtentandos ſumtus in conſervationem alicujus ſtatus faciendos requiratur, nemini ignotum eſt. Quanquam autem per jura imperanti-

um dominia privata civium non tollantur: tamen ſaltem hactenus hæc per illa reſtringuntur, ne civibus integrum ſit de opibus ſuis tantum ſubtrahere juri ſummorum imperantium, quantum ſtatui alicui ſuſtentando ſufficere poſſit. Nam hoc modo vel iſtorum ſtatus ſubtractis opibus langveſcet, vel novus in medio iſtorum ſtatu ſtatus exſurget, maximo reipubl. cum periculo & incommodo. Igitur quia civitates, quæ tempore Apoſtolorum extabant, non minus ac quævis aliæ jus in bona civium quæſitum habebant, doctrina autem Chriſti nemini jus ſuum legitime quæſitum adimebat, non aliud velut patrimonium ſuſtentandis illis cœtibus, ut talibus, conſtitui poterat, quam quod ſummorum imperantium juri nihil detraheret, quodque adeo à ſummis imperantibus liberæ privatorum diſpoſitioni relinqueretnr. Quod fere intra menſuram privatæ & moderatæ beneficentiæ, & eleemoſynæ continebatur. Et quidem ut ſi immobilia ad hunc uſum collata forent, à tributaria obligatione ideo non eximerentur.

§. 30.

§. 32. Sed ex toto cœlo compages interna ſtatus alicujus, & vincula, queis membra eorum inter ſe connectuntur, differunt ab ea ſtructura, quæ in corpore alicujus Eccleſiæ reperitur. Circa primam ſtatuum ſive civitatum originem conſtat, homines animadverſis vitæ ſegregis incommodis atque periculis, quærendæ ſecuritatis cauſa inter ſe conveniſſe ſuper ſua in unam ſocietatem conjunctione: inde facto decreto ſuper modo regiminis certum hominem aut concilium conſtituiſſe, penes quem vel quod ſocietatis regimen foret, eidemque voluntatem, & uſum virium ſuarum circa procurandum ſocietatis bonum ſubmiſiſſe. Aliter plane circa plantandas Eccleſias ſeſe res habet. Non enim homines ultro, agnita miſeria ſua, inter ſe convenerunt de converſione ſui ad Deum; ſed cum ignorantiæ tenebris circumfuſi, ſalutisque ſuæ ſecuri agerent, Deus demum permiſſos à ſe annunciavit & præcepit, ut omnes ubiq; reſipiſcerent. Actor. XVII. 30. Nulla ergo " eſt conventio hominũ inter ſe ad ſubeundã &

Diverſa eſt ſtructura interna Eccleſiæ, atque ſtatus.

conſtituendam Eccleſiam, ſed ſinguli pro ſe, citra reſpectum ad alios ſacramento Chriſti ſuccedunt. Unde cum alias in civitatibus patremfamilias membra ſuæ familiæ ſequantur, & hæc per iſtum jure civitatis potiantur, in Eccleſia ſecus ſe res habet. Heic enim maritus non trahit ſecum uxorem, nec dominus ſervum. 1. Corinth. VII. 12. 21. Sic in Narciſſi infidelis familia erant Chriſtiani ſervi, quos ſalutat Paulus Roman. XVI. 11. Et indignus Chriſto eſt, qui patrem aut matrem, filium vel filiam plus quam ipſum diligit. Matth. X. 37. " Luc. XIV. 26. Matth. XII. 50. Et de hac ſepa-" ratione, diviſione, ac diſſidio, quod per Chriſti doctrinam excitandum dicitur, explicandum eſt dictum Matth. X. 34. Luc. XII. 51. " quod nempe obligatio erga Chriſtum potior & validior ſit aliis neceſſitudinis inter homines vinculis. Unde & deficiens ab Eccleſia pater, maritus, aut dominus, filium, uxorem aut ſervum ſecum non trahit. Deinde in Eccleſiis formandis non opus eſt decreto ſuper certa regiminis forma introducenda; abſurdæque

adeo

adeo ſunt quæſtiones, monarchica, ariſtocratica, an democratica forma competat Eccleſiæ. Hæ quippe formæ cadunt in ſtatum aliquem, ſeu civitatem: Eccleſia autem ſtatus non eſt. Cum porro diſparem à civitatibus finem habeat Eccleſia, diſparia quoque ſunt munia, quæ utrinque proveniunt. Quam perſonarum varietatem finis civitatum producat, nemini eſt ignotum. Aſt perſonarum, quæ reſpectu Eccleſiæ oriuntur, ſimpliciſſima eſt diviſio in doctores & auditores.

Doctores Eccleſiæ multum differunt ab imperantibus civilibus.

§. 33. Cæterum doctores Eccleſiæ ab iis, qui imperium in aliquo ſtatu gerunt, non tantum differunt circa finem munerum ſuorum; ſed etiam circa modum conſtituendi ingens inter utroſque eſt diſcrimen. Neque de eo diſcrimine ſermo nobis eſt, quod multi imperantes ipſa naſcendi ſorte imperium adquirunt, quod in doctoribus Eccleſiæ ſecus eſt: ſed de illo, quod in iſtis quioque imperantibus conſpicitur, qui electione ad imperium provehuntur. Hi enim quando conſtituuntur, univerſi ſuam voluntatem ſubmittunt voluntati

electi circa media ſervandæ civitatis, ut quæcunque hic probaverit, illi quoque probaturos ſe, & ad eadem exſequenda & adhibenda cònnixuros profiteantur, collata quoque poteſtate talia pro imperio & intentatis pœnis exigendi. Aſt vero quando ab Eccleſia aliqua ſeu cœtu fidelium in docendi munere quispiam conſtituitur, fideles hautquaquam voluntatem ſuam voluntati doctoris ita ſubmittunt, ut quam viam aut quæ media ſalutis is propoſiturus ſit, ipſi cœco obſequio amplecti velint, aut debeant. Sed revera nemo fidelis ſuam voluntatem & fidem alteri cuipiam abſolute ſubjicit, præterquam Deo; cujus voluntatem & juſſa interpretari, & ad illa complectenda auditores hortari, doctorum munus eſt. Ut enim doctrinæ ab homine propoſitæ, quæ captum rationis ſuperat, fides concilietur, neceſſum fuerit, ut hæc fides proveniat vel ab autoritate ipſius proponentis, vel à coactione ſeu vi adhibita, vel à principio aliquo ſuperiore. Autoritatem ſuam deſtruit homo eo ipſo, dum rationi disſona

ſona proponit, niſi alio adminiculo fidem
ſibi adſtruat. Unde apud Græcos, qui ſapi-
entiam & rationem quærebant, Apoſtolo-
rum prædicatio ſtulta habebatur. 1. Corinth. “
I. 23. Et Paulus eo nomine apud Philoſo-
phos Athenienſes Spermologi convitio ad- “
ſpergebatur. Actor. XVII. 18. Sed nec co-
actione aliqua aut imperio humano quid ef-
ficitur ad amplectenda fide myſteria religio-
nis Chriſtianæ. Chriſtus Apoſtolis dixit;
docete: huic reſpondet, credite, & quidem “
ex toto corde. Ad eam fidem producen- “
dam vis aut emolumenta mundana ineptum
plane medium ſunt. Supereſt igitur, ut ejus-
modi dogmatibus à ſuperiore principio fides
concilietur: quod eſt gratia divina Evangeli-
um comitans, & miracula, quibus initio A-
poſtolis doctrinam ſuam confirmare di-
vinitus dabatur. Marc. XVI. 20. Actor. “
XIV. 3. Hebr. II. 4. Etſi promulgatione “
Evangelii ſemel facta non opus eſt am-
plius ejusmodi miraculis; ſicuti quæ
inter promulgationem Decalogi erum-
pebant

pebant tonitrua & fulgura deinceps non repetebantur. Sic igitur Chriſtiani ſoli Chriſto abſolute ſidem rationemque ſuam ſubmiſerunt, cui & propria divinitas irrefragabilem autoritatem circumponebat, & vox Patris cœlo delapſa; Hic eſt filius meus dilectus, in" quo mihi bene complacitum eſt: hunc" audite. Sed & ſicuti populus Iſraëliti-" cus fidem ſuam ſubjecit Moſi, poſtquam is divini ſui muneris manifeſtam demonſtrationem dederat; Exodi XX. 19. ita & Apoſtolis omnem voluntatem ſuam ſubdere tenebatur, poſtquam & hi legationis ſuæ divinitus commiſſæ fidem divina per miracula facere poſſent. Quanquam prædicationi eorum etiam ſine miraculis efficacia erat; & ubi iidem apud gnaros veteris Inſtrumenti ſua dogmata proponebant, haut indignabantur, ſi auditores ſui inquirerent, num ipſorum dicta iſti congruerent. Actor, XVII. 10. Enim-" vero reliquis doctoribus, qui immediatam ſuam vocationem divinis miraculis demonſtrare nequeunt, nemo abſolute & citra exceptio-

ceptionem fidem ſuam ita ſubjicit, ut amplexurum ſe profiteatur, quicquid illi dixerint; ſed eatenus duntaxat, quatenus ipſorum doctrina conformis eſt doctrinæ illorum, quorum divina autoritas manifeſtis documentis demonſtrata fuit. Unde & doctoribus Eccleſiæ non ſufficit dixiſſe, ſic volumus ſic jubemus; ſed neceſſum eſt, ut demonſtrent, à ſe tradita ex amuſſim congruere doctrinæ à Chriſto & Apoſtolis promulgatæ. Nec auditores reſolvunt fidem ſuam in autoritatem doctoris; ſed in autoritatem Dei, cujus verbo conformia eſſe debent doctoris dogmata. Et ſcholæ quidem humanæ à doctoribus & fundatoribus nomen ſortiri ſolent, ut dicatur, v.g. ſchola Platonis, Ariſtotelis, Zenonis: ſed Eccleſiæ non niſi à Deo & Chriſto nomen ferre debent. Ac reprehendit Paulus Corinthios, qvod quidam eorum ſe dicerent Pauli, alii Apollo, alii Cephæ, alii Chriſti, 1. Corinth. I. 12. Sic igitur poſita jam ſcriptura ſacra Chriſtiani non ſunt ſimiles diſcipulis Pythagoricis, quibus ſufficere debet αὐτὸς ἔφα ipſe dixit: ſed & hiſce competit

poteſtas evolvendi ſcripturas, & ad haſce do-
ctorum ſuorum tradita exigendi. Unde non
diſcipulos ſolum, ſed & auditores ſcrutari "
ſcripturas jubet Chriſtus Joan. V. 39. Et Pau- "
lus 1. Theſſal. V. 21. omnia probare, quod bo- "
num eſt retinere jubet, & 1. Joan. IV. 1. ſpiri- "
tus probare, an ſint ex Deo. Nec adparet, "
quomodo probatio ſui ipſius, quam Paulus
1. Corinth. XI. 28. omnibus injungit, ad myſti- "
cam cœnam acceſſuris, absque meditatione
ſcripturæ ſacræ fieri queat. Sed nec cum do-
ctoribus Eccleſiæ comparatum eſt, ſicut cum
Medicis. Nam hi quidem medicam artem
callent, eamque cum fructu adplicant ægrotis
ignariſſimis. Haut ita doctor Eccleſiæ ſolus
dogmata religionis callere debet; ſed ea
demum præclara eſt Eccleſia, ubi cognitio-
ne rerum divinarum auditores doctori-
bus non concedunt. Nam Apoſtoli omne "
conſilium Dei hominibus annunciarunt, nec
uni alicui doctrinæ Chriſtianæ cuſtodiam
commendarunt, ſicut Romani quondam li-
bros Sibyllinos Decemviris, ut non niſi ab illo

ejus

ejus notitia peti poſſit. Porro quia Chriſtiani fidem ſuam non autoritati alicujus hominis, ſed ſolius Dei ſuperſtruunt, omnes quoque à Deo docti dicuntur Joan. VI. 45. 1. Theſſ. IV. 9. “ quod petitum eſt ex Jeſa. LV. 13. Jerem. XXXI. “ 34. Unde & Paulus 2. Corinth. I. 24. negat “ ſe Corinthiorum fidei dominari; aut quod “ eodem fere redit, ſe dominari iis nomine fidei. Cæterum uti auditoribus majorum profectum in proclivi eſt doctorum ſuorum tradita ad normam ſacrarum ſcripturarum conferre; ita quantum ſimplicioribus ſufficit hunc uſum præbere poſſunt ſymbola, ſeu brevia & plana compendia articulorum fidei præcipuorum, quæ & omnibus, queis Chriſtianum nomen geritur, à juventute tam à parentibus, quam publicis doctoribus inculcari debent. Quibus & ſimplex illa articulorum fidei notitia ſufficere poteſt, nulla ſubtiliorum diſceptationum cura, aut neceſſitate. Et ſane quam non operoſa aut diffuſa ſcientia ad hoc requiratur, ut quis fidem ſalvificam habeat, facile colligitur ex Roman. X. 9. 10. “

1. Timoth. I. 5. 2. Timoth. II. 23. Tit. III. 9. " 1. Joan. III. 23. Sic quia non ſolum lapis angularis & velut centrum Religionis Chriſtianæ eſt, quod Jeſus ſit Chriſtus filius Dei, Joann. " XX. ult. Conf. VI, 40. Sed etiam primis Chriſtianiſmi temporibus idem articulus maxime à portis inferorum infeſtabatur; igitur Apoſtolus etiam ſimplicibus hanc regulam tradit: Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chri- " ſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis " ſpiritus, qui non confitetur Jeſum Chriſtum " in carne veniſſe, ex Deo non eſt. 1. Joan. IV. " 2. 3. Etſi ex hoc non conſequatur, Chriſtianum non debere notitiam habere aliorum quoque articulorum: aut circa alia fidei capita liberum eſſe credere, aut non credere, quod velis, ſalva fidei orthodoxia.

Num Eccleſia univerſalis ſit ſtatus?

§. 34. Cum itaque in Eccleſiis particularibus ingens difformitas à ſtatu adpareat; diſqvirendum eſt, num forte iſtæ Eccleſiæ inter ſe junctæ magnum aliquem ſtatum abſolvant? Heic igitur conſtat, in ſacris literis vocabulum Eccleſiæ tribui etiam univerſis fidelibus

bus ubicunque terrarum degentibus, & de illis pronunciari, velut de uno aliquo corpore: ut tamen nihil adpareat, ex quo colligi queat, illos ex intentione & inſtituto Chriſti ſtatum aliquem conſtituere. Ite in mundum univer-" ſum, & prædicate Evangelium omni creatu-" ræ; juſſum Salvatoris eſt ad ſuos diſcipulos. Aſt, quod novum ſtatum formaturis quam maxime neceſſarium erat, non deſignatur certus locus, unde in reliqua foret regimen; non deſignantur illæ vel illi, penes quem vel quos in reliquos gubernatio eſſe debeat. Non oſtenditur modus communicationis cæterorum cum ſede regiminis; quæ communicatio propter capacitatem orbis, aliasque difficultates tunc exerceri non poterat; diverſis civitatibus fere hoſtilem ad modum inter ſe agentibus. Sed nec adparet vinculum aliquod, quod univerſitatem Chriſtianorum in unũ ſtatum colligare idoneum ſit. 1. Cor. XII." 12. 14. Quemadmodum corpus unum eſt," & membra habet multa, omnia vero mem-" bra corporis unius, multa cum ſint, unum"

 ſunt

ſunt corpus: ſic & Chriſtus. Etenim per "
unum ſpiritum nos omnes in unum corpus "
baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Græci, ſive "
ſervi, ſive liberi, & omnes unum ſpiritum "
hauſimus. Joan. X. 18. Oves meæ audi- "
ent vocem meam, & fiet unum ovile, unus "
paſtor. Igitur ut omnes oves fiant unum "
ovile, ſufficit, ut audiant vocem paſtoris Chri-
ſti. Epheſ. IV. 3. 4. 5. Tolerantes vos invi- "
cem per caritatem, ſtudentes ſervare unitatem "
ſpiritus per vinculum pacis. Unum corpus, "
& unus ſpiritus, quemadmodum & vocati "
eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus "
Dominus, una fides, unum baptiſma, unus "
Deus & Pater omnium. Sic apud Ioannem "
Chriſtus in ſermone valedictorio præcipue
caritatem diſcipulis inculcat, velut peculiarem
notam profeſſionis Chriſtianæ. Quam &
Fratrum vocabulum Chriſtianis peculiariter
dilectum inſinuat. Add. 1. Corinth. XIII. "
Coloſſ. III. 14. Galat. V. 10. Sunt hæc omnia
vincula ſacroſancta, ſed ad conſtituendum, &
connectendum aliquod corpus myſticum,
non

non ad Regnum aliquod de hoc mundo idonea. Et poſſunt hæc omnia inter ſe communia eſſe illis, qui in diverſiſſimis ſtatibus degunt; cum nihil horum dependentiam aliquam ab imperio hominis notet, aut involvat.

§. 35. Sed nec adparet uſus aut finis, ob quem quicquid eſt Chriſtianorum in unum ſtatum coaleſcere debeant. Ut idonei doctores in Eccleſiis ubique conſtituantur, iidemq; officium ſuum rite obeant, à ſingulis cœtibus longe promtius & accuratius effici poteſt, utpote qui ſuos norunt, & ſub oculis habent, quam ab uno aliquo, utut ſapientiſſimo, qui in remotis locis agit: quem & multitudo negotiorum facile obtundere poteſt, & cui alienis oculis videndum, alienis auribus audiendum eſt. Sed nec propter lites doctorum Eccleſiæ inter ſe aut cum aliis opus eſt peculiare tribunal erigere; quæ nullibi commodius, quam in ea civitate, ubi degunt, decidi poſſunt; nec ulla ratio eſt, ut iſti defigere velint judices, *Eſt inutile, omnes Chriſtianos in unum ſtatum coaleſcere.*

quos

quos reliqui cives agnoſcere tenentur. Colorem aliquem habet, quod jactatur; melius & firmius unitatem fidei conſervari, cóntroverſias componi, ac hæreſes compeſci atque extingvi poſſe, ſi in unum ſtatum coaluerint omnes per orbem terrarum Eccleſiæ, & ab uno capite, ſive Princeps is ſit, ſive ſenatus è pluribus conſtans regantur. Enim vero ſi res penitius inſpiciatur, in caſſum ejusmodi uſum monarchæ Eccleſiaſtici oſtentari adparebit. Nam ſi ejusmodi judex univerſalis in Eccleſia debet eſſe, eundem oportebit eſſe, infallibilem, & omni exceptione majorem; & quidem non ſolum in quæſtionibus juris, ſed & in quæſtionibus facti: cum ſœpe de dogmate aliquo verum an falſum ſit ſatis conſtet, ſed id in dubium veniat, num dogma aliquod huic vel illi recte tribuatur, an minus. Alias enim fieret proceſſus in infinitum, ſi de veritate deciſionis ab eo judice facta adhuc dubitare fas foret. Tum & oportebit eam judicis autoritatem fallere & falli neſciam ita manifeſta in luce poſitam eſſe, ut non citra abſurditatem in

An in Eccleſia opus ſit judice controverſiarũ?

in dubium revocari poſſit. Alias enim ſi iſti quæſtio ſtatus moveatur, ad alium judicem eundum fuerit; eumque itidem infallibilem, poſtquam in propria cauſa nemo judicem ſe ferre poteſt. Atqui cum ejusmodi infallibilitatis privilegium non niſi à Deo conferri potuerit, (nam etiam ex compromiſſo omnium Chriſtianorum idem conferri nequit,) è divinis literis clare demonſtrandum fuerit, id autoritatis atque eminentiæ in unum aliquem collatum, ut ipſe, ejuſque in perpetuum ſucceſſores controverſias fidei definire valeant citra omne erroris periculum. Cujus quidem rei in ſacris literis nec vola nec veſtigium extat. Sed pari autoritate, eodem Spiritu ſancto impletos Apoſtolos in orbem univerſum miſit Chriſtus. Poſt iſtos reliquis doctoribus Eccleſiæ, aliisque fidelibus nulla alia via eſt ad penitiorem religionis Chriſtianæ cognitionem, quam divinarum literarum devotum, aſſiduumque ſtudium. 2. Timoth. II. 24. 25. Quod ſi quis ſpiritum Propheticum, divinoſque afflatus jactet, id liquido probandum fuerit. 1. Corinth. XIV. 29.

P Illæ

Illæ autem artes in omnibus epiſcopis & doctoribus inveniri debent, quas tradit Paulus 2. Timoth. II. 24. 25. ſervum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docendum, tolerantem malos, cum manſvetudine erudientem eos, qui obſiſtunt, ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoſcendam veritatem. Ex quibus conſequitur, ſi quis nunc ejusmodi infallibilem facultatem controverſias decidendi ſibi velit arrogare, ipſum circa requiſita ad genuinos ſcripturarum ſacrarum ſenſus eruendos præ reliquis omnibus Eccleſiæ doctoribus eſſe oportere inſtructiſſimum, & ita quidem, ut ne plurium qvidem conjuncta opera ſolius iſtius perſpicaciam adæquet. Deinde circa ejusmodi univerſalem controverſiarum judicem, ſi quis ejus eſſe uſus debeat, neceſſarium fuerit penes eundem eſſe facultatem adigendi univerſos Chriſtianos, ut deciſioni ab ipſo factæ utique adquieſcant. Alias enim ſi ſententia ab ejusmodi judice prolata nullo alio pondere valeat, quam perſpicuo veritatis lumine, vel pe-

tetur

tetur id qvod eſt in principio, vel nihil tribuetur ejusmodi judici, quod non cadat in qvemvis Chriſtianum ſacræ ſcripturæ peritum. Iſtam porro facultatem cogendi oportebit proficiſci vel à peculiari privilegio divino, vel à compromiſſo omnium Chriſtianorum, vel ab imperio in univerſas Eccleſias. De privilegio divino aut Chriſtianorum omnium compromiſſo nullibi, quod legerim, extat. Nec minus, ſi quod eum in finem uſurparetur abs qvopiam imperium, ejus titulus idoneis documentis fuerit demónſtrandus. Neque heic ſuffecerit traditionem, aut diuturnam uſurpationem crepare. Nam iſta etiam diuturnam injuriam notare poteſt, neque firmum aliqvod juris fundamentum ſuppeditat; cum fieri potuerit, ut modica ab initio auctoritas ſucceſſu temporis intolerabilem in Dominatum degeneraverit. Sicut traditio merito ſit ſuſpecta, cujus fontes in ſacris literis non reperiuntur. Ne dicam, qvod ejusmodi imperium ab indole religionis Chriſtianæ plane abhorreat. Si enim per id prohibendum eſſet, ne

controverſiæ oriantur, durius ſervitii genus introducendum foret, quam illud, de quo conqueritur Tacitus; adempto per inquiſitiones & loquendi, audiendique commercio; utque ipſa cum voce memoria perdatur, ſi tam in noſtra poteſtate foret obliviſci, quam tacere. Et ejusmodi imperio forte hypocritas & muſſitantes hæreticos effeceris, orthodoxos Chriſtianos non effeceris. Quin uti latentia ulcera detegi expedit, quo malignum pus amoveri, ac medicina eo facilius adplicari queat; ita præſtat ſcrupulos, qui animum vellicant, erroresque in apertum proferri, quo idoneis adhibitis remediis eximi queant, quam ut citra medicinam velut ſuppurantes gangrænam demum producant. Sed & non poſſunt non hoc modo in una civitate duo ſumma imperia introduci, cum obtentu judicii de controverſiis non minus obnoxii teneri homines queant, quam per juſſa circa civiles actiones. Nam cum ejus modi imperium è fine civitatum inſtitutarum non promanet, neceſſum eſt, ut id ſeparatum & ſingulare ſit. Unde ſi idem

idem penes illum ſit, qui ſummum imperium civile in civitate habet, idem dominus erit conſcientiæ ſimul, & vitæ. Sed ſi penes alium ſit id imperium, tunc vel iſte executionem quoque habebit ſententiarum à ſe latarum, vel ipſe habebit ſatis ſententiam pronunciaſſe, executione imperantibus civilibus delegata. Priori caſu duo ſumma imperia in una civitate maxima incommoda & diſtractiones parient: Poſteriori caſu ſummi imperantes civiles ad nutum iſtius judicis ſacri carnificum munia obibunt. Quæ omnia cum compagem vitæ civilis mirum in modum convellant, liquidiſſimis documentis opus fuerit, ut cuipiam ſano perſuadeatur, Chriſtum ſua doctrina tam exitiabiles morbos in civitates introducere voluiſſe. Enimvero ut nullæ omnino controverſiæ ſurgant, fieri quidem non poteſt; id quod Chriſtus in parabola prædixit. Matth. "
XIII. 24. & Paulus 1. Corinth. XI. 19. Sed ſi quæ "
controverſia oriatur, neceſſum utique eſt, ut qui illam movet, aliquem prætextum, aut colorem ſaltem è divinis literis adducat. Nam ſi

 quis

quis novum alquem articulum fidei venditare velit, non excitata in teſtimonium ſcriptura ſacra, merito velut delirus rejicietur. Nec minus ſophismata duntaxat febriculoſæ philoſophiæ heic jactans merito explodetur. Et ad traditionem citra ſcripturam provocare, eſt defectum fundamenti fateri. Quod ſi quis caput aliqvod fidei in Eccleſia receptum ſolicitare audeat, itidem velut ineptus rejicietur, ni dubitationi ſuæ è Codice ſacro ſaltem ſpeciem aliquam adſtruere norit. Hoc autem ſi quis fecerit, ubi præſertim ſtudium veritatis præ ſe tulerit, ſane ita crude repelli non poteſt, ſed rationes ejusdem audiendæ, & examinandæ ſunt. Igitur res demum ad interpretationem locorum ſcripturæ redibit; quam ut rite inveniamus non opus eſt imperio aliquo, aut irrefragabili autoritate, ſed iis duntaxat adminiculis, quibus qvorumvis ſcriptorum genuinus ſenſus eruitur, nempe cognitione linguæ, ac diligenti meditatione totius ſyſtematis divinæ doctrinæ, perſpectaque dogmatum

matum inter ſe connexione & analogia: Quibus ſi accedat nativa ingenii rectitudo, & animus præjudicio, privati emolumenti, & pravorum affectuum nebula liber, non adeo magnæ molis erit genuinum ſcripturarum ſenſum eruere. Et ita quidem, ut qui huic contradicere audeat, demum ab intelligentibus utique cauſa cecidiſſe agnoſcatur. Sicuti Salvator noſter aliquoties Phariſæos & Saducæos è divinis literis, & ratiociniis inde extructis ita convicit, ut quid amplius reponerent, non haberent. Præſumitur autem in quovis Chriſtianorum cœtu tot eſſe idoneos doctores, quot ſuffecerint redarguendis, qui falſa & nova dogmata diſſeminare inſtituunt. Aut ſi unius cœtus doctores non ſuffecerint, licebit in ſubſidium vocare vicinas & celebriores Eccleſias: Sic ut hoc intuitu facile univerſali controverſiarum judice ſuperſederi queat. Sed & ubi ingens multitudo eſt diſſentientium, quæ præſertim integras civitates impleat, itidem inutilis fuerit ejusmodi judicis opera. Nam ſi adhibita vi eos cogere

in-

inſtituat, ad falſam opinionem exuendam; iſti vim reponent. Aſt ſi eosdem non niſi per ſcripturas divinas, & rationes ex his petitas convincere aggrediatur, id æque per quosvis doctores idoneos, quam ejusmodi judicem præſtari poterit. Neque vero metuendum, errores eo uſque prævalituros veritati, ut hæc ubique & in perpetuum opprimatur, nec per egregios doctores in clara luce poſita nubeculas illas diſſipatura ſit. Et res ipſa loquitur, plurimas hæreſes; citra vim adhibitam, & absq; opera ejusmodi judicis prævalente veritate plane evanuiſſe, aut in obſcuritatem abiiſſe. Major pervicacia ineſt illis erroribus, qui cum emolumento temporali ſunt conjuncti, & qui inter rationes ſtatus, in quem Ecceſia aliqua particularis evaluit, habentur. Quo ex genere ſunt, quos in Papatu Proteſtantes impugnant: quibus omnibus, ſi quis accurate attendat, emolumentum aliquod ſtatus Pontificii continetur, ita ut neque Pontificis ſectatores aliquid circa controverſos iſtos articulos remittere valeant, citra imminutionem potentiæ &

pro-

proventuum ſuorum : nec Proteſtantibus ulla via ad concordiam cum iſtis pateat, niſi dominatum Papæ, quem excuſſere, denuo ſubire velint. Quorum & craſſus valde diſputandi eſt modus, dum ſemper autoritatem Eccleſiæ crepant, & omnes diſputationes ac dubitationes de capitibus fidei tolli jactant, ſi quis in eandem fidem ſuam reſolverit. Quo ipſo ſe partem juxta, judicemque faciunt, & ex proprio teſtimonio litem, qvæ ipſis intenditur, ſolvere inſtituunt, adeoqve factum proprium in locum juris allegant. Ea enim apud illos perpetua eſt fallacia, qvod ſibi ſolis vocabulum & dignationem Eccleſiæ arrogent, excluſis omnibus, qvi ab illorum communione alieni ſunt. Etſi & hoc ipſorum ſit proprium, ut inſuper habitis demonſtrationibus & ratiociniis, per divinas literas ſuggeſtis, alias per artes, Apoſtolis ignotas, ad ſe ſtabiliendum, ac evertendos veritatis defenſores graſſentur. Unde & illegitimo illi ſtatui peculiaris generis exitium divinitus eſt deſtinatum.

§. 37. Cæterum quomodo ſit proceden- *Exemplum controverſiæ*

 dum,

Apoſtolorum tempore compoſita.

dum, ubi controverſiæ qvid in aliqua Eccleſia ortum ſit, tutiſſimo diſcitur exemplo, quod Actor. XV. extat. Ubi obſervandum, con- " troverſiam tunc fuiſſe de ſumma rei Chriſtianæ; an nempe ſalvus quis fieri poſſit, non admiſſa circumciſione ſecundum ritum Moſis. Nam Paulus Galat. V. 2. pronunçiavit: Si circumci- " damini, Chriſtus nihil vobis proderit. Nec in- " ſuper habendum, quæſtionem illam fuiſſe motam intra primordia Eccleſiæ naſcentis, Canone nondum completo, & cum adhuc ſuperſtites eſſent, qui doctrinam ex ore ipſius Chriſti hauſerant, ac peculiari dono Spiritus ſancti perfuſi, ac Apoſtolorum autoritate præditi erant. Præterea dubitandum non eſt, quin in Paulo & Barnaba ſat facultatis, & divinæ doctrinæ fuerit ad redarguendum illum errorem. Sicuti & non obſcure colligitur è d. l. v. 2. iſtos ſatis rationum errantibus oppoſuiſſe; quas cum è Judæa qui deſcenderant convellere haut noſſent, hoſce ad autoritatem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ provocaſſe, (vid verſ. 24. d. c.) velut è qua reli- "

gio

gio Chriſtiana in reliquum orbem promanavit, & ubi applauſum ſuæ ſententiæ ſperabant ab iis, qui ægre admodum abolitionem Synagogæ digerebant. Sicuti & non paucos ibi ſententiæ iſti adſtipulatos fuiſſe, è v. 5. patet. Ne igitur per hanc controverſiam turbaretur Eccleſia Antiochena, deputantur Paulus & Barnabas, cum quibusdam aliis ad Eccleſiam Hieroſolymitanam iſtius decidendæ gratia. Eo cum hi perveniſſent, indicitur conventus non ſolum Apoſtolorum & Presbyterorum, ſed totius Eccleſiæ, admiſſa etiam adverſa parte; cujus rationes audiuntur, & ſuper hiſce multa συζήτησις ſeu diſceptatio inſtituitur. Rem utramque partem ſufficienter ventilata Petrus ſurrexit, non velut univerſalis controverſiarum judex, aut pro autoritate & imperio litem deciſurus, ſed demonſtrativo modo progrediens, ad viſionem ſibi factam Actor. XI, 19. provocat, & ad effectum, “ qvem Evangelium apud incircumciſos produxerit. Ubi ratiocinatur; cum per Spiritum Sanctum æque purificentur corda creden-

credentium incircumciſorum abſurdum eſſe aſperrimi ritus obſervantia fruſtra onerare Chriſtianos; cum præſertim in eo ſalus inveniri nequeat, quam ſola Chriſti gratia producat. Et ſuccinebant Paulus & Barnabas, expoſitis miraculis, qvæ Deus per ipſos inter gentes edidiſſet. Quod factum non fuiſſet, ſi ob omiſſam circumciſionem iſti inter profanos forent habendi, aut ſi pars neceſſaria Chriſtianæ fidei eosdem deficeret. Poſtquam ergo conticuiſſent, id eſt, poſtquam nemo ſupereſſet, qui in contrarium quid proferre, aut ad allatas rationes excipere valeret, demum & Jacobus ſurrexit, & Petri viſionem Prophetarum prædictionibus conſonam declaravit. Eoqve & ipſe concludit, non eſſe negotium faceſſendum illis, qvi è gentibus ad Chriſtum convertuntur. Ut tamen aliqua in re Judæis gratificarentur, hique tanto libentius fidelium è gentilibus converſationem admitterent, cenſent hiſce abſtinendum ab idolothytis, ſcortatione, ſuffocato, & ſanguine, rebus lege Moſaica vetitis, & ex parte legi naturali adverſis, uti

uti ſcortatio eſt,ſed quæ per licentiam morum ethnicorum impune frequentabatur. Et reliqua in ſe indifferentia facile omitti poterant,ne aliis offenſæ anſa præberetur. In eam ſententiam omnes diſceſſerunt,etiam uti videtur illi, qui antea diſſenſerant ; & nomine non ſolum Apoſtolorum & ſeniorum , ſed & fratrum " Epiſtola Synodica ad Eccleſiam Antiochenam conſcribitur , per deputatos Judam & Silam perferenda. Qui Antiochiam delati eam Epiſtolam non velut pro imperio promulgarunt,ſed pellectam fratribusqve probatam prævio copioſo ſermone commendarunt.

§.38. Iſta ſi probe expendantur,nonnulla inde poſſunt deduci,qvæ ad intelligendam Conciliorum naturam non parum faciunt. Ac primo id manifeſtum eſt Concilia non eſſe corpora perpetua, queis regimen Eccleſiæ ſit commiſſum ; ſed eſſe conventus extraordinarios, à ſelectis fere & eminentibus in Eccleſia viris conſtantes , ad graviores in Eccleſia obortas controverſias componendas. Quæ, qvod ab antiquiſſimis temporibus in Eccleſia fuerunt *De natura & uſu Conciliorum quædam obſervationes.*

frequentata, manifeſto indicio ſunt, in Eccleſia non dari infallibilem aliquem cotroverſiarum judicem. Quid enim opus foret, tot viros delaſſare, ſi penes unum eſt fallere neſcia omnium ejusmodi litium deciſio, & , qvod magis eſt, ſi Conciliorum decreta non niſi ab iſtius confirmatione valent? Unde & viri, è qvibus concilium componitur, non poſſunt conſiderari velut membra alicujus ſenatus aut collegii, qvorum major pars ſuffragiis ſuis propoſitum negotium decidere queat, ſicut iſta deciſione quicquid eſt Chriſtianorum utiqve ſtare teneatur; præſertim cum in univerſum veritas non ſemper à majori ſuffragantium numero dependeat. Multo minus illis poteſtas aliqua legislatoria competit, ut Eccleſiæ leges vel canones pro imperio injungere queant. Sed non aliter ibidem conſiderari poſſunt, quam deputati Eccleſiarum, ad examinandas controverſiarum rationes, & deciſionem è divinis literis eruendam. Ad quam deciſionem amplectendam Eccleſiæ non tenentur, niſi qvate-

qvatenus eam divinis literis congruam deprehenderint. Id enim facile fieri poteſt, ut aliqua controverſia prius obſcura & difficilis videatur, cujus deciſio poſt excuſſas in utramqve partem rationes liquidiſſima adpareat. Quodſi autem à Conciliis aliquid ſuper moribus decretum fuit, id non aliter vim obligandi habere intelligitur, quam ex antegreſſo mandato aut ſubſequente adprobatione Eccleſiarum; ſic ut Concilia nullum in Eccleſiam imperium obtineant. Porro ut obiter hoc quoque tangam, Concilium eſſe ſupra Papam, theſis eſt, qvæ apud eos, qvi ſcripturas & rationem ſequuntur, aſſenſum facillime invenit. Cui enim non perſuadeatur, conjunctam plurium induſtriam & eruditionem plus valere ad veritatem eruendam, qvam unius hominis judicium, cui ſœpiſſime mediocris admodum rerum divinarum ſcientia eſt. Sed quod iſti quoque hanc propoſitionem aſſerere velint, qui ſedem Romanam omnium Eccleſiarum centrum, ac Papam Oecumen cum

Epiſcopum agnoſcunt,- id quidem non parum abſurditatis habet; cum ſtatus Eccleſiæ Romanæ Monarchicus ſit; iſta autem theſis meram Ariſtocratiam oleat. Sed nimirum paucis verbis totum arcanum ejus aſſertionis exprimi poteſt. Vult qvippe Clerus Gallicanus agnoſcere Pontificem Romanum caput Eccleſiæ, qvatenus id rebus ſuis expedire judicat. Sed ſi longius autoritatem ſuam porrigere iſte aggrediatur, qvam vel rationes ejus regni, vel Cleri ferant, jam libertas Eccleſiæ Gallicanæ, & vetus Sorbonæ doctrina occinitur, ſimul ſimplicioribus fucus fit, velut Gallicana Eccleſia ab illis erroribus & abuſibus immunis ſit, qvos craſſos ſane, & abominandos Roma progenuit. Sed & illud in aprico eſt, ubi controverſia aliqua intra Eccleſiæ cujuspiam pomæria ſolide componi qveat, non opus eſſe alias Eccleſias eadem defatigare; aut ſi una Eccleſia ei negotio componendo doctores idoneos non habeat, ac aliarum Eccleſiarum doctores in ſubſidium vocandi ſint, ſupervacuum eſſe, plures excire, qvam qvi ad ſcopum iſtum obtinendum ſuffi-

ſufficiant. Sic Antiocheni ad ſolos Hieroſolymitanos litem ſuam deferebant, aliis Eccleſiis Phœniciæ & Samariæ, qvas iſtorum deputati tranſibant, non fatigatis. Porro qvi ad Concilium à diverſis Eccleſiis mittuntur, à ſua quiſqve Eccleſia autoritate & mandatis inſtructi eſſe debent. Alias enim doctor iſte aut Epiſcopus Eccleſiam ſuam non repræſentabit; cum hæc aſſenſum ſuum non abſolute ſubmiſerit doctrinæ doctorum ſuorum, ſed qvatenus congrua verbo divino proponunt. Et cum hac exceptione capiendum eſt illud Hebr. XIII. 17. Præterea in Conciliis audiri, qvi controverſias movent, & eorum rationes examinari, & legitime diſcuti; tum & omnia ad normam verbi divini exigi debent. Quodſi agatur de aliquo emolumento, non de ſimplici dogmate, hi de qvorum emolumento agitur, non poſſunt ſibi ſolis poteſtatem decidendi vindicare in fraudem cæterorum. Ex qvo facile colligitur, diſſidium inter Eccleſias Proteſtantes, & Pontificem Romanum non poſſe componi per Concilium. Nam nec inter hoſce

ſuper ſolis dogmatibus diſceptatur, ſed de imperio, dignitate, bonisqve opimis. Nec adparent, qui neutri partium addicti deciſionem tam arduæ litis ſuſcipere queant, aut cui partes ſubmittere ſe velint. Nec. ita ſtulti ſunt Proteſtantes, ut conſeſſui è ſolis Pontificiis, velut capitalibus ipſorum hoſtibus, conſtanti ſe ſubmittant: nec ut id faciant, ſalva fronte ab his poſtulari poteſt. Sicuti nec unqvam Pontificem tantum fortunæ ſuæ tædium capiet, ut eam in compromiſſum ultro deducturus ſit. Conſeſſus autem ex æquali utriusqve partis aſſeſſorum numero convitium erit, aut Centaurorum Lapitharumqve convivium.

Quæ natura fuerit Eccleſiarum ſub imperio infidelium?

§. 39. Poſtqvam hactenus prolixe fuit oſtenſum, Eccleſiam non eſſe ſtatum, reſtat ut diſpiciamus, ad qvodnam demum genus corporum moralium Eccleſiæ ſint referendæ, prout quidem illæ ſe primitus habebant ſub imperio Principum Ethnicorum? Eas igitur conſtat habuiſſe, indolem Collegiorum, ſeu ejusmodi ſocietatum, queis plures homi-

mines certi cujusdam negotii gratia inter ſe connectuntur, ſalvo ſummorum imperantium in eosdem jure. Qua de re conſuli poſſunt Jcti ad tit. D. de Collegiis & “ Corporibus. & imprimis Jacobus Cuja- “ cius VII. Obſervat. XXX. & XVI. Obſerv. “ III. & V. Ubi etiam notant, in Rep. & Imperio Romano collegia religionis cauſa fuiſſe libera ac licita. Jd quod & inter plurimos alios oſtendit Athenagoras Apo- “ logia pro Chriſtianis in princ. Per veſtrum “ imperium, Reges Maximi, alii aliis mo- “ ribus utuntur ac legibus, nec eorum quis “ qvam lege & judicii metu quæ patria ſunt, “ venerari prohibetur. Et paulo poſt: Ho- “ mines pro ſuæ nationis ac civitatis modo “ qvique ſacrificia peragunt ac ceremonias. “ Quæ religionis libertas etiam inter alias cauſa fuit, quare Chriſtiana religio tam brevi tempore in vaſtiſſimo illo Imperio tanta incrementa potuerit capere, & progreſſibus Evangelii initio pauci ſe objecerint; quod Magiſtratus eam rem ad curam ſuam

pertinere non judicarent. Unde & nuſpiam leguntur Apoſtoli veniam prædicandi Evangelium, & plantandi Eccleſias à Magiſtratibus petiiſſe. Quanquam & alia cauſa eſt, quare ad conſtituendas Eccleſias conſenſu Magiſtratus civilis opus non fuerit; qvia nempe Apoſtoli autoritate ejus, cui in Reges ipſos imperium eſt, ad prædicandum Evangelium miſſi ſunt; & quia tum Deus hominibus annun- " ciabat, ut omnes ubique reſipiſcerent. Actor. " XVII. 30. Ex quibus colligitur, licuiſſe non Apoſtolis ſolum Eccleſias condere ubivis locorum, ubi verbo divino morigeros invenirent; ſed & qvocunque ſonus Evangelii pertingebat, potuiſſe fideles ejusmodi ſocietates inter ſe erigere, ſeu Eccleſias plantare, nec peculiari indulgentia aut delegatione ab Apoſtolis impetrata ad hoc opus fuiſſe, ſed ex effato Salvatoris ſuffeciſſe, ut vel duo & tres in ipſius nomine congregari voluerint. Eſt autem ea natura collegiorum omnium, quæ libera hominum coitione conſtant, ut aliquid habeant democratiæ ſimile hactenus, ut quæ eam in univer-

verſum concernunt negotia communi omnium conſenſu ſint expedienda; adeoque nemo in illis poteſtatis quid in alios ſibi arrogare queat, niſi id ab univerſis ipſi ſit delatum. Unde conſequitur, ut radicaliter & originarie facultas conſtituendi doctores, aliosque Miniſtros Eccleſiæ ſit penes totam Eccleſiam, univerſumque cœtum fidelium. Quanquam enim initio multis in locis doctores Eccleſiarum ab ipſis Apoſtolis conſtitutos extra dubium ſit: tamen id non citra conſenſum Eccleſiæ factum ſatis arguit vocabulum χειροτονεῖν, nil niſi democratiam redolens, qvod paſſim circa ejusmodi negotia occurrit. Sed nec probari poteſt, in omnibus oppidis doctores ab ipſis Apoſtolis conſtitutos; aut ipſos ſingula oppida vicosque circumeundo Evangelium prædicaſſe. Quin Evangelium in celebrioribus locis publicatum ad alia quoqve loca ſe diffudit; & quà ipſi Apoſtoli Eccleſiis doctores, epiſcopos, aut presbyteros, immediate, aut ex peculiari mandato haut dederant, ad hoc munus à fidelium cœtibus aſſumti ſunt, qui vel primi

Evangelii doctrinam in aliqvem locum affere-
bant, aut qvi præ reliquis docendi facultate
pollebant. Sane Romæ doctores videntur
fuiſſe, etiam antequam Petrus & Paulus eo
pervenirent, id qvod ex hujus epiſtola ad "
Romanos c. XVI. patet. Et præfectus Regi- "
næ Candaces Evangelium Æthiopiæ intuliſſe
creditur, ibique Eccleſias plantaſſe, qui ta-
men à Philippo dum baptiſatur in epiſcopum
aut presbyterum ordinatus non fuit. Actor. "
VIII. Unde nec à Chriſto aut Apoſtolis certa
aliqua formula ordinandi Miniſtros præſcripta
eſt, ſicuti circa Sacramenta, liquido indicio,
nihil aliud ad iſthoc munus requiri, quam ut
quis ab Eccleſia vocatus, & facultate docen-
di ſit præditus. Et ordinatio ac impoſitio ma-
nuum facta ab Epiſcopo aut Presbyteris ri-
tus bonus eſt, & qui utiliter adhiberi poteſt,
ſed qui non uſque adeo neceſſarius eſt, ut citra
illum legitimus quis Eccleſiæ miniſter eſſe ne-
queat; præſertim cum efficacia miraculoſa,
qvæ primis Eccleſiæ temporibus iſtum ritum
comitabatur, 1. Timoth. IV. 14. dudum exole- "
verit.

verit. Eſt quoque Eccleſiis, ſicut aliis Collegiis, aliqua poteſtas collectandi, ſeu colligendi ſtipes ad ſuſtentationem Miniſtrorum, & pauperum; hautqvaquam tamen gemina poteſtati imperandi tributa, quæ ſummis imperantibus civilibus competit, cujus vi illa etiam ab invitis exigi poſſunt; ſed ultroneam fidelium liberalitatem præſupponens, ac juſtitiæ & humanitatis officum comitans, qvod operariis mercedem ſolvi, & egenos ſublevari imperat. Vid. 2. Corinth. VIII. 2. 3. 11. 12. 13. IX. 5. 6. 7. Habent « præterea hoc omnia Collegia, non minus qvam Eccleſiæ, ut communi conſenſu ſtatuta condere queant, ad peculiarem eorundem finem ſpectantia, ſalvis communibus civitatis legibus. Ex quo genere ſunt illa ſtatuta, quæ Paulus Corinthiis priori Epiſtola cap. VII. ſeqq. com- « mendat. Quæ ſi quis transgreſſus fuerat, caſtigationem, aut multam ſtatuto dictatam merito ſubibat, non velut pro imperio, ſed ex conventione imponendam. Et quanquam alias collegio in membra ſua circa illa negotia, quæ extra finē ejusdem poſita ſunt, jurisdictio

non competat, niſi quantum forte à ſummo imperio civili delegatum ſit ; id tamen ſalvo ſummi imperii jure fieri poteſt, & ſœpe ſolet, concordiæ eo melius in collegio ſervandæ, ut obortæ inter membra Collegii lites per interpoſitionem & arbitria reliqvorum è collegio componantur. Quo facit illud Pauli 1. Corinth. VI. 1. ſeqq. Quia deniqve inter gentes tempore promulgati Evangelii magna erat morum colluvies, ac multa fæda impune patrabantur, multa etiam officia ſolo facientium pudore continebantur, nulla legum civilium ſanctione; Chriſtiano autem nomine cumprimis dignum habebatur, ut ſanctitate morum profeſſionem ſuam exornarent, ac Ethnicis innocentia præcellerent: inde mature in Eccleſiis ſancita ſunt multa, quæ ad corrigendam publicorum morum licentiam & inquinationem facerent, præeunte Paulo 1. Corinth. VI. 11. Si quis, cum frater appelletur, « fuerit ſcortator, aut avarus, aut ſimulacro- « rum cultor, aut convitiator, aut ebrioſus, aut « rapax, cum ejusmodi ne cibum quidem ca« pia-

piatis. Add. Galat. VI. 1. 1. Timoth. V. 20. Sic ut " Eccleſiæ morum qvondam cenſuram in ſua membra exercuerint. Jd quod citra ullum ſummi imperii præjudicium fieri potuit, quippe cujus plurimum intereſt, mores civium eſſe quam ſanctiſſimos. Jſta tamen omnia non aliis pœnis potuerunt ſanciri, quam quæ extra ſummi imperii uſum exerceri poſſunt; uti eſt admonitio, correptio publica, confeſſio delicti in Eccleſia; & ſigna pœnitentiæ ibidem edita: ad extremum excommunicatio, & bannum, qvod eſt vel ſuſpenſio temporaria ab uſu ſacrorum publicorum; vel plena excluſio ab Eccleſia. Jd quippe extremum eſt, quo coërcitio alicujus collegii procedere poſſit, ut nempe quis eodem penitus ejiciatur. Quæ excluſio, etſi in ſe magni momenti, quippe per quam quis ſpoliabatur beneficiis è participatione Eccleſiæ provenientibus, tamen alium effectum civilem non produxit: ſed Eccleſia ejectis ſalva haut eo minus permanſit conditio & dignitas civilis, ſalva exiſtimatio civilis, ſalva bona, fortunaque, atque alia jura. Nam ut

pœnarum huc qvoque penetrantium Eccleſiæ infligendi jus ſit, neque ad finem ejudem facit, neque citra fraudem imperii civilis fieri poteſt, ut à quocunque citra ipſius cognitionem aut delegationem tale quid in cives ſtatuatur.

De conditione Eccleſiæ ſub Chriſtianorum Summo imperio.

§. 40. Conſequens eſt, ut conſideremus, an & qvousqve Eccleſiæ aliquam mutationem à priori conditione ſubierint, poſtqvam ſummi qvoqve imperantes, atque integræ adeo civitates religionem Chriſtianam profiteri cœperunt. Ubi obſervandum, nihil eſſentialis perfectionis eo ipſo Eccleſiis acceſſiſſe; cum neque ad religionem Chriſtianam opus ſit civitate, nec ad civitatem religione Chriſtiana; finisque adeo religionis Chriſtianæ à fine civitatum longe diſcrepet. Nam πολίτευμα noſtrum ac vera patria eſt in cœlis. Philipp. III. 20. 2. Corinth. V. 2. 8. Et ſi in Chriſtum ſperamus tantum in hac vita, miſerrimi ſumus mortalium. 1. Corinth. XV. 19. Unde nec Apoſtoli acceſſum ſibi ad ſummos imperantes quærere curarunt, qvem facile ſibi pa-

parare potuiſſe videntur dono miraculorum. Sicuti Herodes gaudebat Jeſum conſpicere, " qvod ſperaret, miraculi quid ab ipſo ſe vi- " ſurum eſſe. Luc. XXIII.8. Jdque ne vel Evangelii virtus opera humani brachii indigere videretur, vel eo ipſo ſummi imperantes plus poteſtatis, qvam par erat, circa ſacra Chriſtiana ſibi arrogarent. Neque tamen religio Chriſtiana de poteſtate ac jure ſummorum imperantium, qvod legitime illis competit, aliqvid detrahit aut delibat, quin potius iſtud confirmat, & quaſi conſecrat. Matth. XXII. 21. " Joann. XIX. 11. Rom. XIII. 1. ſeqq. 1. Corinth. " XV. 24. 1. Timoth. II. 1. 2. 1. Petr. II. 13. 14. Non " poſſet autem non imminui aut limitari poteſtas ſummorum imperantium, nec minus alterationis quid accipere officium civium, ſi Eccleſia ſtatus aliquis eſſe deberet proprio imperio inſtructus. Vice verſa autem eo ipſo, quod vel ſummus imperans, vel univerſi cives Chriſto nomina dant, obligatio Chriſtianorum ut talium, aut doctorum Eccleſiæ ut talium hautquidquam tollitur aut altera-

teratur; cum ejus rei nullum in ſacris literis extet veſtigium, nec ulla id neceſſitas requirere videatur. Sed nec extat in Novo Inſtrumento dictum aliquod ad ſummos imperantes directum, quo ipſis peculiare officium circa Eccleſiam exercendum injungatur. Sicuti pro Regibus Jſraëliticis præceptum aliquod extabat Deuteronom. XVII.18.19.20. Ex quo colligitur, ſi quæ poteſtas aut quod jus ſummis imperantibus circa Eccleſiam & ſacra Chriſtiana aſſerendum ſit, id eſſe deducendum vel ex genuina indole ſummi imperii civilis, vel ex indole ipſius religionis Chriſtianæ, vel ex ultronea delatione ipſius Eccleſiæ.

Eccleſia ideo non exuunt naturam Collegii.

§. 41. His poſitis adparet initio, ex eo qvod ſummus imperans aut univerſa civitas Chriſti Sacramento accedit, Eccleſiam ideo priorem indolem haut exuere, niſi qvod, quæ hactenus privati conditionem collegii geſſit, legitimi tamen, & quod imperio civili prohibere, turbare, perſequi, aut deſtruere fas non erat, ad majorem jam ſecuritatem provehatur, & infidelium perſecutiones metue-

re deſinat, ſummorumque imperantium defenſione gaudeat. In plenum autem ſtatum, depoſita collegii natura, Eccleſia ideo haut abit, neque ſuperinducta religione Chriſtiana ſtatus civitatis alteratur aut aboletur: ſed manet ſummum imperium cum omnibus ſuis juribus; manent cives cum ſuis muneribus & obligationibus. Ut enim duo ſtatus duoque ſumma imperia humana, & his reſpondentes in civibus obligationes in una civitate extent, citra contradictionem & abſurditatem intelligi non poteſt. Et ſi maxime velis dicere, Eccleſiam & Rempublican diverſos habere fines, & circa diverſa objecta occupari, ſibi invicem non repugnantia: inde tamen haudquidquam conſequitur, Eccleſiam in ſtatum convertendam, aut modum propagandi, conſervandi, & colendi religionem Chriſtianam in civile regimen transmutandum. Ubi igitur totus aliquis populus ipſo cum ſummo imperante Chriſtianam religionem profitetur, civitas deinceps Eccleſiam ſinu ſuo complectitur citra ullam colliſionem,

 aut

aut æmulationem, aut jurium ſuorum præjudicium, & confuſionem, velut collegium omnes cives ipſo cum Principe complexum. Sic ut cuilibet civi præter eam, quam antea geſſerat perſonam civilem, nunc ſuperaddatur perſona Chriſtiani, eoque reſpectu etiam Eccleſiæ membrum habeatur. Unde & perſona illa, quam quisque in civitate gerit, eique adhærens dignitas & potentia, ubi idem Eccleſiam ingreſſus fuerit, quieſcit & non attenditur, & Chriſtiani tantum perſona ſeſe exſerit. Sic qui ſupremi ducis munere in civitate fungitur, idem in Eccleſia haut plus juris obtinet, quam gregarius miles. Nemini autem ignotum eſt, unum & eundem hominem citra confuſionem plures perſonas gerere poſſe, prout diverſa munia, aut diverſas obligationes ſuſtinet.

Reges ipſo non ſunt Epiſcopi.

§. 42. Deinde & illud dubio, puto, caret, quod Rex, Princeps, aut quivis Magiſtratus eo ipſo, dum Chriſtianam religionem profitetur, haud ideo fiat Epiſcopus, aut doctor Eccleſiæ. Jſthoc enim munus diſtinctum eſt

à

à conditione cujusvis Chriſtiani, & peculiarem vocationem atque aptitudinem requirit. Accedit qvod Regum ac doctorum Eccleſiæ munera ita comparata ſunt, ut ab uno & eodem commode exerceri nequeant, non ob naturalem aliquam repugnantiam, ſed ob gravitatem negotiorum, quæ utrumque munus comitantur, quibus rite obeundis unus homo par non eſt. Nec minus illud in aprico eſt, ſummos imperantes, ſuſcepta religione Chriſtiana, non accepiſſe poteſtatem alterandi Miniſterium Eccleſiæ, idque in ordinem redigendi, aut obligationem eidem imponendi, ut verbo Dei aliquid alienum tradant, aut humana commenta pro articulis fidei venditent. Quid enim & quomodo iſti docere debeant, jam divinitus fuit præſcriptum; ac non minus regibus, quam aliis heic ſola obſequii gloria eſt relicta. Cui conjunctum eſt, ut accedentibus ad ſacra Chriſtiana ſummis imperantibus non minuatur aut alteretur munus, & obligatio

doctorum Eccleſiæ, aut reliquorum Chriſtianorum, quippe divinitus & citra operam imperantium civilium injuncta; nec ſi quod his vel illis ut talibus jus competebat.

De obligatione & jure Regum Chriſtianorum ut talium, quæ verſatur circa Eccleſiæ defenſionem;

§. 43. Nec tamen ideo nulla peculiaris obligatio, aut peculiaria jura enata ſunt ſummis imperantibus ex eo, quod religionem Chriſtianam ſuſceperunt; quæ ex conjunctione officii, qvod cuilibet Chriſtiano homini incumbit, cum ſummo imperio reſultarunt. Ex obligationibus illa prima eſſe videtur, qvod ſummi imperantes debeant eſſe defenſores Eccleſiæ, & protectionem huic præſtare, contra quoscunque cives, qui eandem inſultare auſi fuerint: nec minus ſi extranei civibus ideo injurias inferre inſtituant eo duntaxat nomine, qvod Chriſtiani ſint. Quanquam enim doctrina Chriſtiana vi & armis propagari non debeat: quo minus tamen injuria à Chriſtiano nomine arcenda ſit, ubi commode fieri queat, non prohibet patientia & injuriarum tolerantia, tantopere à Salvatore diſcipulis ſuis commendata; cujus adhibendæ tunc demum ſtricta ne-

neceſſitas incumbit, quando legitima iſtas declinandi ratio non ſuppetit. Unde Paulus intentatas virgas oſtentato jure civitatis Romanæ, & Judæorum in ſe furorem provocatione ad Cæſarem declinat. Actor. XXII. 25. Et " Salvator perſecutionem per fugam ex una ci- " vitate in aliam evitandam ſvadet. Matth. X.23. " Cum autem ſummi imperantes quaſvis injurias à civibus ſuis arcere debeant; tum circa illas avertendas, quæ ob profeſſionem Chriſtianam alteri inferuntur, eo promtiores eſſe debent, quo indignius eſt, aliquem eam ob cauſam mali quid pati. Deinde Principes hanc quoque obligationem ut Chriſtiani ſuſcipiunt, quod curare debeant, ut ſuppetant neceſſariæ impenſæ, quæ ad cultum Chriſtianum requiruntur. Nam ſupra jam oſtenſum, Eccleſiæ nullum aliud primitus fuiſſe patrimonium, quam eleemoſynas & collationes fidelium; quæ cum incertæ ſint & inſtabiles, egere ſubinde neceſſum erit doctores & miniſtros Eccleſiæ, qui iſtis ſuſtentandi ſunt; aut tenuem fidelium plebem premi, cui alias onera Reipublicæ

Et ſuſtentationem.

T ſat

ſat gravia incumbere ſolent. Atqui poſtquam ipſi Principes, totæque civitates Chriſto nomen dederunt, indignum videtur, tantis opibus præditos tam jejunos Eccleſiæ velle relinquere proventus, præſertim cum in civitate tanti quævis functio æſtimari videatur, quantum eidem ſuſtentandæ impenditur. Ac dicta Rom. XV. 27. " & 1. Cor. IX. 11. tanto magis ad Principes Chriſtianos pertinent, quo facilius & uberius iſtud ab hiſce præſtari poteſt, velut penes quos opum publicarum diſpenſatio eſt. Equidem enormes reditus Eccleſiæ doctoribus inutiles, Eccleſiæ juxta ac civitati noxios arbitramur. Et qui miniſterio Eccleſiæ ſeſe adplicant, hautquidquam munus ſuum in quæſtum vertere debent, & eum ſibi ſcopum præfigere, ut rem augeant, cultura regni Dei poſt principia collocata. Sed quia alias vias rem qværendi non admittit iſtud munus, ſi cui id, prout par eſt, obire cordi ſit; & ad autoritatem eidem apud vulgus conciliandum facit, ſi honeſte & liberaliter illos haberi adpareat; cum contra omnibus ludibrio ſit, qvem ſua functio eſurire pati-

patitur, & in quem jactari poſſit illud Comici; Apparet ſervum hunc eſſe domini pauperis" miſerique: igitur eam ſibi materiam expro-" mendæ devotionis in cultum divinum vindicare debent Principes, ut Eccleſiæ doctoribus è certis proventibus conſtituant idonea ſalaria, quibus honeſte ſuſtentari queant. Ab altaribus Sacerdotes alendi erant; altaribus autem non niſi egregiæ animantes deſtinabantur. Add. Galat. VI. 6. 2. Timoth. II. 4. 1. Petr. V. 2. 3." II. 13. Huic conjuncta eſt cura non ſolum ædium ſacrarum, ſed & ſcholarum, ubi Eccleſiæ præformatur juventus non illa ſolum, quæ aliquando miniſterio Eccleſiæ adplicanda eſt, ſed & quæ aliis vitæ civilis muneribus deſtinatur. Nam modicum valde è ſermonibus publicis capient fructum, qui rudimentis fidei Chriſtianæ non probe in ſcholis imbuti fuerint.

De juribus Principum circa Eccleſiam; ubi primo de generali inſpectione in acta Eccleſiæ.

§. 44. Quod autem jura attinet, quæ Principibus circa Eccleſiam competunt, id primo manifeſtum videtur, cum per doctrinam Evangelii legitima vis imperii civilis

haut minuatur, & vero Princeps Eccleſiæ in ſua ditione ſedem concedat; eo ipſo ad eundem ſpectare generalem quandam in hancce, non ſecus ac in reliqua collegia, inſpectionem ſaltem hactenus, ut videat, ne quid in ſui præjudicium ibi agatur. Quia enim illa eſt humani ingenii pravitas, ut nulla res tam ſancta ſit, quin ubi humanis manibus tractetur, in abuſum trahi queat, contactuque fœdetur; dubitare non licet, quin etiam doctrinæ Chriſtianæ aliquid pravi admiſceri, ejusve obtentu noxii quid in rempublicam introduci queat. Unde in civitate, in qua antea extabat Eccleſia, ubi ipſe Princeps poſt ad eandem acceſſerit, poteſtas utique ipſi competit inquirendi & cognoſcendi, quid negotiorum, & qvo modo in conventibus presbyterorum, aut, ſi qva ſit, Epiſcopali audientia tractetur; num forte juſtos iſti limites migrent, aut à legibus civilibus diſcedant, aut qvæ proprie ad imperium civile ſpectant, velut ſuo jure ſibi aſſertum eant. Quo ex genere inter alia ſunt cauſæ matrimoniales, quæ nullo aut futili è fundamento ſacerdotes ad

ſuum

ſuum forum pertraxere, magno cum præjudicio ſummorum imperantium civilium; quorum uti eſt circa matrimonium leges ferre, naturali & divino juri congruas; ita & ſi quid circa iſthoc controverſiæ oriatur, penes eosdem eſt jus dicere. Tum quia circa mores emendandos etiam doctores Eccleſiæ ſatagunt, Principi jus eſt inquirere, num ſanctiſſimis morum præceptis à Salvatore traditis aliquid ab iſtis admiſceatur, quod ſummo imperio civili in fraudem cedat. Talia enim aſſumenta uti haut quaquam pars ſunt doctrinæ Chriſtianæ, qvin maxime eam ad ſordium inſtar deformant: ita ut amoveantur ab iis, qvorum maxime intereſt, nemo repugnaverit, niſi qui publice profiteri velit, religionem Chriſtianam à ſe in ſpurios uſus detorqueri. Et ſi omnia recte in conventibus Presbyterorum ſeu Conſiſtoriis aut Epiſcopali audientia peragantur, cur erubeſcant hi, aut indignentur, Principes ſuper ibi actis accurate edoceri velle? Atque ejusmodi inſpectio & examen etiam poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam à Principibus

 con-

continuari poteſt, ne ſucceſſu temporis clam aliquis abuſus in Eccleſiam irrepat, reipublicæ qvoque noxam illaturus.

De jure Principum circa Miniſtros Eccleſiæ.

§. 45. Deinde cum jus vocandi & conſtituendi doctores & miniſtros Eccleſiæ originarie ſit penes univerſitatem fidelium: Princeps quoque eo ipſo, dum fidelium cœtui annumeratur, non poteſt non in partem ejus juris venire. Jn partem dico. Nam ut ſingu-« lis Eccleſiis judicium & approbatio circa doctores ſuos integrum relinquatur, ſi nulla peculiaris conſideratio interveniat, utique par eſt. Neque enim eo modo id jus vocandi doctores Eccleſiæ ad Principem ſpectat, quo jus conſtituendi magiſtratus, & alios, qui munia civitatis publica obeunt. Hoc qvippe in ſolidum ipſi competit velut pars ſummi imperii. Sed doctores Eccleſiæ ut tales non ſunt proprie publici officiales Regis, ſed ſunt ſervi Chriſti, ac Miniſtri Eccleſiæ, non civitatis. Et quia primitiva miniſtrorum Eccleſiæ conſtitutio facta fuit per χειροτονίαν, ſeu ſuffragia fidelium, merito Principi ſuf-

fra-

fragii prærogativa tribuetur in illa Eccleſia, cujus ipſe membrum eſt. Reliquas Eccleſias ſuæ ditionis merito libertati ſuorum ſuffragiorum relinquet, niſi graves rationes autoritatem ab ipſo interponi ſubigant; nec temere aliqvem invitæ Eccleſiæ obtrudet, ſi hæc idoneas cauſas iſtum recuſandi habeat. Nam haut multum ædificabit doctor invitis auditoribus ingeſtus, & cujus apud iſtos nulla æſtimatio; nullus amor eſt. Eſt tamen penes ſummos imperantes proſpicere, ne per ambitum aut largitiones homines inepti & vitioſi ad munus ſacrum graſſentur: Jd enim ne fiat, etſi totius Eccleſiæ interſit, à nemine tamen majore cum efficacia prohiberi poteſt, quam per ſummos imperantes. Unde & hi delegare poſſunt, qui doctorum electionibus interſint, ſuaque autoritate impediant, ne quid indecorum aut vitioſum heic admittatur: nec minus, qui inquirant, utrum qui ſacro

officio admovendi ſint, doctrina, docendique facultate rite inſtructi, ac moribus probati ſint. 1.Timoth.III.10. Quia porro etiam doctores officium ſuum negligenter aut prave obire, adeoque diſſidia & offendicula contra doctrinam à Chriſto traditam gignere queunt, Rom. XVI. 17. ſummorum imperantium eſt conſtituere, qui in doctores Eccleſiæ inſpectionem habeant, eoſque ſi à limite aberraverint, corrigant, aut coërceant. Etſi cum iſti qvoque inſpectores ſint homines à peccatis non exemti, curandum ſit, ne iſtorum poteſtas nimis ſit libera, ſed ut & ipſi à reddendis rationibus non ſint immunes, & coram Principe, aut Conſiſtorio in eum finem conſtituto conveniri queant, ſi & ipſi limites officii migraſſe, & miniſtro cuipiam injuriam feciſſe arguantur. Iſta omnia cum ad bonum ordinem in Eccleſia faciant, & vero à nemine commodius procurari queant, qvam à ſummis imperantibus, manifeſtum eſt, Principes, ut primaria membra Eccleſiæ, iſtarum ſibi rerum curam recte vindicare.

§. 46. Præterea ubi diſſidii aliquid & controverſiæ circa dogmata in Eccleſia exortum fuerit, in diverſa tendentibus doctoribus, iſtius componendæ cura ad ſummos imperantes ſpectat, non ſolum ut ſunt membra Eccleſiæ, ſed etiam ut ſunt capita reipublicæ; qvod ex ejusmodi opinionum divortiis propter intemperiem ingenii humani graves quandoqve motus in ipſa civitate exſurgere queant. Unde tali caſu penes ſummos imperantes eſt eximios doctores, aliosqve idoneos viros convocare, & controverſiam iſtis examinandam, & ex verbo Dei definiendam committere; tum & directionem ejus cœtus, præſidiumqve gerere; qvod ad decus ac tranquillitatem ejusmodi conventuum faciat, familiarem iſtis hominibus fervorem moderatione eorum temperari, qvi tractandis negotiis publicis adſveverunt. Nam ſi alius quiſpiam ſibi facultatem ejusmodi conventum cogendi arrogaverit, ubi reliqui adeſſe abnuerint, non habebit, qvomodo iſtos ad comparendum, aut directionem ipſius agnoſcendam compellat;

De jure convocandi Synodos.

nec ſi quid decretum fuerit , id commodius executioni dari poterit, quam per eam, cui in civitate imperium competit. Etſi in tali caſu imperium non ulterius adhiberi poteſt & debet, quam quantum indoles doctrinæ Chriſtianæ permittit. Quodſi autem aliarum quoque civitatum doctores in ſubſidium vocandi ſint, manifeſtum eſt illis, ut extra civitatem proficiſci queant, Principum ſuorum veniam eſſe impetrandam. Quodſi autem è re videatur, ſelectos doctores è pluribus civitatibus in concilium coire , id aliter fieri non poteſt aut debet , quam ut ſummi imperantes earum civitatum ſuper iſta re inter ſe conveniant. Nam neque alienis civibus ad nos accedere ejusmodi negotii expediendi cauſa , nec noſtris ad alios abire licet , niſi coſenſu ſummorum imperantium. Et propter æqualitatem ſummorum imperantium inter ſe nemo quid prærogativæ ſibi præ aliis arrogare poterit , ſed omnia ex compacto peragenda erunt.

De jure circa diſciplinam

§. 47. Quæ cauſa fuerit , ut Chriſtia-

ſtiani primitus inter ſe diſciplinam aliquam ſancirent, ob licentiam morum, & laxitatem legum civilium inter ethnicos, quo ab hiſce morum ſanctimonia diſtigverentur, ſupra expoſitum eſt. Ea cauſa, poſtquam univerſæ civitates ipſis cum Principibus ſacra Chriſtiana ſunt amplexæ, hactenus expiravit, quod non amplius iſta morum ſanctimonia ad pudorem ethnicis incutiendum faceret, cum hiſce exterminatis jam omnes cives ad parem morum puritatem contenderent. Enimvero cum poſt converſionem totius civitatis hautquaquam cura ſanctimoniæ remiſſior eſſe debeat, jam quæſtio ſurgit: Utrum præſtiterit diſciplinam Eccleſiaſticam relinquere eo, quo antea fuit loco; an vero nonnihil eandem alterare, poſtquam ſummi imperantes Eccleſiæ acceſſerunt? Ubi poſterius utique adſerendum videtur, qvod non ſolum illa diſciplina tali modo, aut per tales exercita non ſit pars eſſentialis & perpetua Chri- *Eccleſiaſticam.*

Chriſtianiſmi, ſed pro tempore introducta ob vitioſas civitatis leges, moresque; ſed & quia iſta facile in abuſum trahi, & in genus aliquod imperii invaleſcere poteſt, non ſine inſigni ſummorum imperantium præjudicio. Quod prohibere uti ſummis imperantibus jus eſt, velut convulſioni civitatis anſam præbiturum; ita per eosdem ſanctitati morum alia via conſuli poteſt, ſuppletis legibus civilibus, ac vitioſis ad tribunal civile pertractis. Neque enim adparet, quare contaminati mores non æque emendari, peccatoresqve pudore ſuffundi pœnis civilibus, quam caſtigatione Eccleſiaſtica queant; ſcandalumque publice datum æque per illas, qvam hanc aboleri. Quod ſi aliquis dicat, magis profici ad ſanctimoniam morum per diſciplinam Eccleſiaſticam, quam pœnas civiles; nam per illam emendari animum, has ſuſtineri poſſe perſiſtentibus animi ſordibus: ei reponimus, hunc effectum non ſemper obtineri à diſciplina Eccleſiaſtica, cum & hac quis defungi queat haut correcta animi labe, aut obfirmata

in

in impudentiam fronte. Et in quibusvis delictis, quæ pœnis fori humani obnoxia ſunt, expiatio in foro divino per medicinam quærenda eſt verbo divino præſcriptam; cui ab hoc diſciplina Eccleſiaſtica hautquaquam annumeratur. Non enim ideo peccata remittuntur, quia quis diſciplinam Eccleſiaſticam ſubiit; ſed quia animum per ſangvinem Chriſti fide adplicitum emundavit. Quod ſi tamen utique expedire videatur, certum genus vitii caſtigationi Eccleſiaſticæ ſubjici, optimum fuerit, id definiri à judice civili, talemque hominem ab hoc ad miniſtros Eccleſiæ remitti ad caſtigationem recipiendam. Ut omnino penes Chriſtianos Principes ſit definire, quænam delicta pœnis civilibus, quænam caſtigationi Eccleſiaſticæ ſubjicienda ſint; & circa hæc quoque ſibi ſententiam reſervare, quem gradum caſtigationis Eccleſiaſticæ delinquens ſubire debeat; miniſtris Eccleſiæ executionem demandare. Atque iſthoc præcipue circa bannum obſervandum eſt; ut nempe ejus infligendi poteſtas non relinquatur arbitrio

mini-

miniſtrorum Eccleſiæ, ſed ut ad hocce non niſi de ſententia ſummorum imperantium procedi queat. Nam in civitate meris Chriſtianis conſtante eundem fere illud effectum cum capitis deminutione habet, ac hominem inter Chriſtianos infamem, atque inteſtabilem efficit, eoque & ad conditionem civilem effectus ſuos porrigit. De qua ſtatuere in civitate penes neminem, quam ſummos imperantes, ſalvo quidem horum imperio, eſſe poteſt.

De poteſtate condendi ſtatuta circa res Eccleſiaſticas.

§. 48. Denique cum per religionem Chriſtianam jura ſummorum imperantium haut imminuantur, hiſce, ubi & ipſi nomen Chriſto dederint, poteſtas competit inquirendi, quidnam canonum ſeu ſtatutorum in Eccleſia receptum ſit; & ſi quæ reperta fuerint vel ſupervacua, vel ipſorum juribus adverſantia, abolendi: ac ſi quid adhuc deſiderari videatur, quod ad decus & ordinem Eccleſiæ faciat, id ſupplendi, adhibitis tamen in conſilium ſaltem præcipuis ex Eccleſia; atque in univerſum

ejus-

ejusmodi ſtatutis vim legum civilium addendi. Enimvero probe circumſcribendum eſt objectum hujus poteſtatis condendi ſtatuta, ut illud duntaxat porrigatur ad ea, qvæ religionem circumſtant, externamque adeo ejusdem τάξιν, καὶ εὐσχημοσύνην, ordinem & decus ſpectant. Et quidem ut ne heic quidem nimia ſtatutorum multitudine fideles onerentur. Vid. Coloſſ. II. 16. 21. 22. 23. 1. Timoth. IV. 3. 4. Aſt ſi quis huc uſque poteſtatem ſummorum imperantium extendere inſtituat, velut penes ipſos qvoque ſit religionem Chriſtianam, aut qvædam ejusdem dogmata per modum legis civilis ſancire, ſeu iisdem ſanctionem legis civilis addere, aut pœnis temporalibus aliquem cogere ad amplectendam religionem, vel ad profitenda aut abneganda certa dogmata, de quibus inter Chriſtianos diſſenſio eſt; is genium religionis Chriſtianæ, modumque ejusdem propagandæ à Chriſto & Apoſtolis adhibitum plane evertit, ac fidem noſtram, quæ gratia Spiritus Sancti excitatur, & πληροφορίᾳ [illegible] plena

plena fiducia cordis conſtat, transmutat in externum obſequium lingvæ ad verba formanda à ſenſu animi plane diſcrepantia declinandæ pœnæ temporali. Ubi tamen limitatio aliqua eſt addenda circa illa, quæ religio Chriſtiana cum naturali communia habet, & qvæ cultum Numinis in genere involvunt. Talium enim præceptorum violationes qvin pœnis qvoqve civilibus ſanciri poſſint, velut fundamentum Reip. convellentes, dubitandum non eſt: qvalis eſt idololatria, blaſphemia, violatio ſabbathi, ubi prius ad liquidum fuerit deductum, quibus actibus abſolvatur, qvod in lege de ſabbatho eſt morale & perpetuum. Ex qvo capite recte potuerunt Principes, qui ſacra Chriſtiana primum ſuſceperunt, ſimulacra ac templa deaſtrorum, lucosque & alia loca ſuperſtitionibus paganis dicata deſtruere, ac congreſſus ejusmodi ſuperſtitionis cauſa prohibere. Sed & illud dubium non eſt, qvin Principes Chriſtiani homines profanos, qui religionem Chriſtianam in univerſum adſpernantur, ejusque myſteria contumelioſe habent

pœnis

pœnis civilibus afficere, aut ſaltem civitate exturbare queant. De cætero per vim, pœnasque humanas intentatas illuminatio mentis, & intrinſecus aſſenſus dogmatum rationis ſibi relictæ captum exſuperantium haudquidqvam produci poteſt. Senſa autem animi diſſimulare, & aliud animo tectum, aliud lingva promtum habere, ac vocabulorum in ſummis labiis natorum recitatione defungi, adhibitis quibusdam ritibus & motibus corporis, nihil minus, quam religio eſt, ubi internus ac debitus animi habitus, motusque abſuerit. Sed nec oſtentato emolumento aliquo temporali, honore, prærogativa, aliquem allicere doctrinæ Chriſti congruum eſt, qvi ſectatoribus ſuis præmia poſt hanc vitam pollicitus eſt, heic crucis, affatim fore prædixit. Et qvi ejusmodi emolumenti intuitu ad religionem accedit, non obſcure innuit, pluris à ſe emolumentum, qvam religionem fieri. Quales cultores Deo probari nemo ſanus crediderit. Præterea cum ſummi imperantes non ſint conſtituti religionis cauſa, nec aliqvo colore poſtulare queant,

ut cives fidem ſuam abſolute ſubmittant fidei ipſorum, aut ſi cives ad obſequium hoc deſcendere velint, id ipſos de ſalute ſua certos reddere queat; inde conſequitur, ſi quis è ſacris literis demonſtrare ſe poſſe confidat, errorem aliquem, præſertim qui ſalutis fundamenta convellere videatur, in doctrinam publice receptam irrepſiſſe, illum non poſſe aut debere objecta ſummi imperantis autoritate protelari, ſed ad placidam diſceptationem cum idoneis doctoribus admittendum eſſe; & tunc demum, quando liquido & legitime convictus eſt, eidem ſilentium imponendum. Sola coactione civili non niſi hypocritis oppletur Eccleſia, & talibus, qui cauteriatam habent conſcientiam. Nam quia in religione animus & verba conſpirare debent, non poſſunt non in perpetuis conſcientiæ angoribus verſari, qui qvocunque reſpectu profitentur, qvæ animo non probant; qvod iſta cordis & lingvæ diſcrepantia Deo ſe illudere ſentiant.

Quid jurus ſummus imperantibus

§. 49. Enimvero ut extrema qvævis circa extingvenda in religione diſſidia adhibeantur,

à

à multis obtentui ſumitur cura ſervandæ tranquillitatis publicæ, qvod hæc per iſta ſœpenumero im̃ane quantum concutiatur; eoq;. ſumma civitatis felicitas in eo vertatur, ut omnes cives circa religionem eadem ſentiant. Quin & officium Regium eo magis circa promovendam quocunque modo religionem occupari, qvanto ſalus animæ corpori præſtat; nec ullo modo amorem Regis in cives luculentius exprimi, quam ſi in veram ſalutis viam eosdem ducat. Speciem habent iſta, & non exiguam vim, ut miti etiam ingenio Principes permoveri queant ad potentiam ſuam immanitati ſacerdotum accommodandam. Tanto majus operæ pretium eſt, quousque iſtæ rationes valeant, accurate diſcutere. Jgitur id initio obſervandum, eam ſemper fuiſſe Eccleſiæ ſortem, eamque fore divinitus prædictum eſſe, ut in agro Eccleſiæ Zizania tritico immixta ſint, id eſt, falſa dogmata veris; quæ haut violento modo eradicari vult Salvator, ſed extremo judicio reſervari. Unde adhibita ſævitia ſtrages dari

det cura ſervandæ tranquillitatis publicæ?

 poteſt,

poteſt, nocentes juxta atqve innoxios involvens; error omnis ex Eccleſia eradicari funditus non poteſt. Deinde nemo magis humanum genus amavit, quam Salvator noſter, pro quo & ſæviſſimam mortem paciſci voluit. Atqui hic non niſi docendo doctrinam ſuam propagavit, cum in proclivi eidem fuiſſet vel duodecim legiones Angelorum ad iſthæc miniſteria adhibere. Jgitur non eſt imitator Chriſti Rex, qui convertendis ſuis civibus petulantiſſimorum dimacharum legiones immittit. Et quantuscunqve ſit iſte amor in cives, qvi obtentui ſumitur, per eundem hautqvaquam immutari debet modus propagandi doctrinam Chriſtianam, & redarguendi errores, quem religionis Chriſtianæ indoles requirit. Præterea ad tranquillitatem civitatis non abſolute neceſſarium eſt, ut omnes cives circa ſingula religionis capita conſentiant; ſeu qvod eodem recidit, diſſenſus circa capita religionis per ſe non turbat quietem civitatis; ſed intemperies ingeniorum, ambitio, gloriæ & potentiæ cupiditas, zelusque prave temperatus;

qvæ

qvæ ab iſto diſſenſu anſam ſumunt turbulentiam ſuam expromendi. His vitiis fræna injicienda ſunt, ne per petulantiam turbent eos, queis ſalvo adverſus Principes obſequio nil aliud quæritur, quam conſcientiæ libertate frui. Quare igitur Princeps cives bonos & quietos non patiatur abundare ſuo ſenſu; qvi ſi errant, non ipſius, ſed ſuo duntaxat periculo errant? Neqve enim ideo gladius Magiſtratibus eſt conceſſus, ut eodem controverſias, veluti Alexander nodum Gordium diſſecent. Ne tamen quis arbitretur, nos infinitam licentiam quibusvis hæreſibus conciliatum ire, quod immane quantum à noſtro inſtituto abeſt; profitemur, utique maxime optandum & laborandum eſſe, ut in civitate ſit una fides & religio, nimirum talis, quæ cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum divinis ſcripturis contenta examuſſim congruit; atque id ipſum ad tranquillitatem civitatis non parum conferre. Nam non cujusvis religionis unitas in civitate commendationem meretur, v.g. paganæ, Muhammedicæ, Arianæ, Anabaptiſticæ, Antichriſticæ; ſed veræ,

ſed antiquæ, id eſt, ſacris ſcripturis contentæ. Nam hæc demum genuina eſt antiquitas, omnis labis expers, quæ ex ipſis fontibus fidei Chriſtianæ promanavit. Sicuti v. g. inter Judæos quondam illi demum vere pro ſe antiquitatem allegare poterant, qui Codicem Moſaicum conſentientem habebant. A genuinis fontibus quicquid diſcrepat, utut complurium ſeculorum traditione nitatur, non niſi inveteratus error eſt. Unde id demum juris cura tranquillitatis publicæ Regibus dat, ut quæ publice recepta ſunt doctrinæ Chriſtianæ compendia, catecheſeon, ſymbolorum, confeſſionum, aut quocunqve vocabulo veniant, ad normam ſacrarum literarum probe exigi curent, non à paucis ſolum, qui factionis, aut privati reſpectus ſuſpicionem incurrere poſſint, ſed ab omnibus, queis ſolida divinarum literarum peritia eſt: & ubi iſta recte ſe habere deprehenderint, publicam, privatamque doctrinam ad adem conformari imperent. Ubi ejusmodi publica formula fidei non extet, ſummorum

rum imperantium eſt operam dare , ut per rerum divinarum peritiſſimos aliqua componatur, ab omnibus civibus approbanda, & profitenda, ad quam etiam, quicunque docendi munere funguntur, ſint adſtringendi. Ejusmodi formula fidei ubi publice recepta fuerit, integrum eſt Regibus jus civitatis abnegare illis, qui eandem profiteri abnuunt, niſi rationes reipublicæ aliud heic ſvadere videantur. Tum & ſi quis contra docere aggrediatur, præſertim circa capita ſummam religionis Chriſtianæ tangentia, is ut abſiſtat monendus, & ſi quid rationum pro ſua ſententia adferat, ſolide redarguendus, convictoque ſilentium imponendum eſt. Si ne ſic quidem quieſcere velit, civitate ejiciendus eſt. Nam cum hæreticum hominem devitare jubeat Apoſtolus, & vero à nobis poſtulari nequeat, ut in unius aut paucorum heteroclitorum capitum gratiam alio migremus, conſequens eſt, ut iſte ſolum vertat,

poſtquam legitime convictus & monitus pervicaciter errorem ſuum fovet, & periculum eſt, ne alios cominus contagio inficiat. Aliam pœnam locum habere non arbitramur, niſi is error cum blaſphemia conjunctus ſit.

De tolerantia diverſarum Religionum.

§. 50. Poteſt tamen contingere, ut ſummi imperantes ab ea, qvam ipſi profitentur, religione diſſidentes ſalva conſcientia in civitate tolerare poſſint, & quandoque etiam teneantur. Aliqvando enim tanta eſt multitudo diſſentientium, ut ſine inſigni diminutione noſtræ civitatis expelli nequeant, aut huic grave detrimentum conciliaturi ſint, ſi in aliam ſe civitatem contulerint. Nam execrabilem immanitatem ſpirat illud dicterium certorum hominum; præſtare deſertam habere regionem, qvam ab hæreticis cultam. Et peſſime temperatus erat Zelus illius Principis, qui dicebat; ſe malle album baculum dextra tenentem ditione ſua excedere, quam hæreticos in ea tolerare. Sed cum doctrina Evangelii ad deſtruendas Reſpublicas inſtituta haut ſit, nec ulla Principi obligatio incumbat religionem violento

lento aliquo aut turbido modo propagandi, aut plus heic conari, quam ratio officii peculiariter ſibi injuncti admittit; igitur merito ſuperſedet ejusmodi media extirpandorum errorum adhibere, quibus civitas turbatur aut debilitatur, & quæ neque Salvator ipſe adhibuit, neque Apoſtolis adhibere præcepit. Jd tamen ab iſtis, qui tolerari in civitate volunt, utique requiritur, ut bonos ſe, modeſtos, & quietis virtutisqve amantes cives exhibeant, nec ſuæ religioni admixta habeant dogmata, quibus aliquid detrahatur juribus ſummorum imperantium, aut obſequio iisdem debito, & per qvæ cives ad ſeditiones, turbasve movendas diſponantur. Nam talia dogmata, eorumque propagatores quin utique extirpandi jus ſit ſummis imperantibus, dubium non eſt; cum iſta ad religionem non ſpectent, ſed ſordes ſint à pravis hominibus religioni adſperſæ. Deinde & illud ad officium ſummorum imperantium ſpectat in civitate, ubi plures una religione tolerantur, ut prohibeant, ne diſſidentes diſſidii ejus cauſa conviciis ſe mu-

tuo impetant, aut contumelioſe habeant ; ex quibus non poteſt non animorum exacerbatio provenire, fomes factionum, injuriarum, turbarumque inteſtinarum. Multo magis autem diſſidentes in religione tolerari debent, quando ſacrorum ſibi ſuorum libertatem ſtipulati ſunt, cum primitus in civitatem reciperentur : aut quando eandem publicis conventionibus, edictis, legibus fundamentalibus, & capitulationibus quæſivere; qvæ Principibus non minus ſancte obſervanda ſunt, atque ipſi poſtulant, ut ſubditi promiſſum ipſis obſequium ſancte præſtent. Idem dicendum eſt, ſi diſſidentes non legitime auditi & convicti ſint, ſique iidem dogmata ſua è communi religionis Chriſtianæ principio liquido demonſtrare parati ſint. Pro convictis autem nequaquam ſunt habendi, in quos ab adverſariorum aliquo conciliabulo ſententia fuerit pronunciata, qualem horum rationes ſtatus & emolumenta dictabant, iisdem actorum, teſtium, ac judicum vices ſubeuntibus. Nec abſurde aliqui diſſerere videntur; non eſſe, quare Princi-

pes

pes tam faſtidioſi ſint circa indulgendum jus civitatis viris bonis & utilibus ob ſolam circa quædam religionis capita diſſenſionem: cum ſatis caveri queat, ne iſti alios in ſuam ſententiam trahant; ac ſi nobis noſtræ religionis morumque fiducia ſit, major utique ſpes ſit, illos in noſtras partes poſſe permoveri, quam nos abiisdem ſeducendos. Igitur multis falſo Zelum veritatis jactari; qui revera metuant, ne inſcitia ſua in lucem protrahatur, ubi ad diſceptationem cum diſſentientibus deſcendendum fuerit. Et experientia conſtare, illis ſeculis aut locis, ubi parum aut nihil diſſenſionis circa religionem agitatum eſt, ſacerdotes in ſocordiam & barbariem degeneraſſe.

Cavendum Principibus, ne fidem adhibeant hominibus obnoxiis.

§. 51. Cæterum cum in quovis negotio par eſt, ut liquida è ſcientia procedant Principes, quibus demum omnis culpa publice actorum præſtanda eſt; ita cumprimis eo majore circumſpectione iisdem circa religionem procedendum, quo atrocior habetur injuria,

qvæ iſto nomine alicui infertur. Quid enim indignius, quam homines innocentes malis mactare ob veras de Numine ſententias, ideo tantum, quia hæ aliis præjudicio aut affectu excœcatis improbantur? Et cum turpiſſimum ſit Principi propriam animi ob immanitatem tyrannidem exercere; quanto fœdius eſt, eundem rerum ignarum tyrannidis alienæ carnificem agere? Unde ni Princeps graviſſimo reatu animam ſuam adſtringere velit, cavebit in hoc negotio ad ſeveram aliquam ſententiam procedere, niſi prius & in jure, & in facto probe informatus fuerit. Nec eſt, quod judicium ſuum reſolvat in autoritatem ſuorum ſacerdotum, quantamcunque pietatis & probitatis ſpeciem præ ſe ferant. Nam innumeris exemplis conſtat, quantopere Principes ingenio cætera probo & miti ad ſævitiam in inſontes exercendam compulſi ſint ab hominibus ſtolidum impetum, aut immanem malitiam ſub ſanctimoniæ profeſſione occultantibus. Igitur ſi nemo ſani cerebri Princeps pronunciare audet in controverſia medica, phyſica, aut ma-

mathematica, qui harum diſciplinarum non probe eſt gnarus: qva fronte idem in controverſia Theologica ſententiam feret, & quidem tanto cum incommodo ejus, contra qvem pronunciatur, ni ipſe ſolidam ſacræ doctrinæ notitiam habeat? Sed quia rariſſimum eſt in iſtius faſtigii hominibus, ut tantum operæ in cogoſcendis rebus Theologicis ponant; id ſaltem optandum foret, ut iſti Principes ſenſum communem, & naturalem rationem in conſilium adhibere, & pauliſper animum à præjudicio liberare vellent. Nam ſaltem in controverſiis, quæ inter Proteſtantes atqve Pontificios agitantur, ubi quis non ultro animum obfirmare velit, talia indicia ultro ſe offerunt, quæ facile arguant, in utram partem favor Principum inclinare debeat, & utram ſuus procedendi modus reddat ſuſpectam. Nam primo quidem id non levem ſcrupulum movere idoneum eſt, quod Proteſtantes ſcripturam ſacram omnibus evolvendam commendant, ac non ſolum æquo animo ferant, ſed & ultro invitent atque hor-

tentur quosvis, ut ſua dogmata cum iſta accurate conferant, & ad eandem velut obruſſam exigant: quodque adeo eam ſolam controverſiarum ſuarum judicem depoſcant, in quam gratiæ, favoris, odii, aut ullius corruptelæ ſuſpicio cadere nullo modo poteſt. Quin & quod fiducia cauſæ ſuæ facile ferant, à ſuis hominibus ſcripta Pontificiorum evolvi, ac publice paſſim proſtare, velut quorum offuciæ ita ſint manifeſtæ, ut nemini, qui ipſorum doctrinam probe imbiberit, ab iſtis ſeductionis periculum immineat. Contra quam ſuſpectum eſſe debebat, quod apud Pontificios tam anxie maxima ſuæ Synagogæ pars à lectione Sacrorum Bibliorum arcetur, ita ut ſaltem in illis locis, ubi inquiſitio viget, minore periculo blaſphemia, perjurium, & fœdiſſima flagitia patrentur, quam oracula divina evolvantur; qvorum & autoritatem variis modis elevare non verentur, & contra tanto hiatu Traditiones & autoritatem Eccleſiæ crepant; qvorum illæ factum duntaxat, non jus probare poſſunt; hujus autem vocabulum illi

ipſi

ipſi cœtui falſo velut proprium tribuitur, cujus dogmata ſub diſceptationem vocantur, qui propria in cauſa nimis quam impudenter judicis vices ſubire prætendit. Nec minus qvod tam anxie ſuos à conſpectu librorum arceant, queis Proteſtantium doctrina traditur, quos per Indices expurgatorios, aliaque edicta plane ditionibus ſuis proſcribunt. Quodque imprimis caveant, ne Principibus occaſio fiat accurate cognoſcendi, quidnam à Proteſtantibus proprie doceatur. Sicuti inter alia notiſſimum eſt, quam ægre impetrari potuerit, ut Auguſtana Confeſſio Cæſari Carolo V. prælegi poſſet. Sane extra ſtudia partium poſitus non aliter judicare poteſt, quam illos cauſæ ſuæ confidere, hos trepidare, ne doctrinæ ſuæ debilitas pelluceat, ubi vel cum fontibus veritatis, vel cum adverſariorum diſputationibus conferatur. Deinde & iſtud non leve momentum adferre debebat, quod diſpar plane ſit conditio partium, qvibus inter ſe certamen eſt, & qvod diſparia plane ſint emolumenta, quæ iſto certamine defen-

duntur. Quanquam enim utrique parti gloria Dei & ſtudium veritatis ſubinde in ore ſit, neque abnui poſſit, multos eſſe, qui iſto ſtimulo agitentur, aut agitari ſe putent; tamen qui indolem maximæ partis mortalium conſideraverit, facile perſuadere ſibi poterit, aliud quid ſubeſſe, qvod tanta pervicacia partes inter ſe committat. Id qvale ſit, divinare haut in arduo erit, ſi quis conditionem cleri, cujus præcipuæ in hoc certamine partes ſunt, utrinque conſideraverit. Juxta Proteſtantium igitur inſtituta cleri conditio hautquaquam invidenda eſt. Autoritas ipſius non ſuperat doctorum conditionem, potentia tenuis, opes non ultra privatam ſortem, alicubi intra paupertatem. Tum vita fortunæque ipſorum non minus, quam reliquorum civium ſummis imperantibus obnoxia, qvos ſi infenſos experiantur, haud aliud præſidii humani ipſis ſupereſt. Aſt Cleri Pontificii qui ſplendor! quæ potentia! Quæ opes! Quam ita compoſitæ illis rationes, ut ipſorum fortunæ qvam minimum ab ſummis imperantibus dependeant!

Utro

Utros igitur veriſimilius eſt pro commodo aliquo terreno pugnare; num illos, qui victores ultra privatam fortunam, eamqve ſat modicam nunquam aſſurgunt; an vero illos, qvibus ſtatus, opesqve defenduntur, quas nullum Europæ Regnum,aut Imperium exæquaverit? Sane qui rerum peritus eſt,inficiari non poteſt, quin eadem cauſa Clerum Pontificium impellat ad tantos clamores in Proteſtantes tollendos, qvæ Demetrium illum ſubigebat ad ſeditionem Epheſi excitandam , Actor.XIX.27. " Præterea cum tota religio Chriſtiana nil niſi charitatem & manſvetudinem ſpiret , meritiſſimo ſuſpicionem Principibus injicere debebat illa immanis Pontificii Cleri ſævitia in eos, qui ab ipſis diſſentiunt, id eſt,qui faſtigium, opes,ſtatum atque monarchiam ipſorum impugnatum eunt. Sane poſtquam infidelium perſecutiones veterem Eccleſiam premere deſierunt,ab Arianis primum ſævitia in diſſentientes exerceri fuit cœpta; orthodoxis pudori fuit, fidem ſuam vi,armis , ſævisque artibus propagaſſe.Saltem à Chriſto non eſſe ſpiritum

iſtum crudelitatis, inter alia colligitur ex Luc. “
IX.54.55.56. Ubi iſte Jacobum & Joannem, qui
ignem cœlo demittere in Samaritanos cupiebant, his verbis increpavit: Neſcitis, cujus “
Spiritus eſtis vos. Et gladius, qvo Chriſtus “
pugnat, ex ore ipſius exit, Apocal.I.16XIX. “
15. Non vagina ad femur pendente extrahitur. Sed & nuſpiam in ſacris literis vera Eccleſia ebria dicitur ſangvine hæreticorum; aſt meretrix Babylonia ſangvine ſan- “
ctorum & teſtium Jeſu ebria pronunciatur, “
Apocal.XVII.6. “

Alicubi jura Principum imminuuntur obtentu religionis.

§. 52. Deniqve cum alias Principes circa jura ſua tuenda valde Zelotypi eſſe ſoleant, huc qvoqve deflectere oculos par erat, utrius partis doctrina ſummorum imperantinm juribus plus præjudicii afferat, aut utra cum iſtis magis conſpiret. Nam ſi per religionem aliqvam jura Summorum imperantium inſigniter imminuantur, ſuſpectum id ipſum Principibus eſſe debebat, & ad inquirendum anſam præbere, qvo fundamento iſtæ ſacerdotum prætenſiones nitantur; cum utiqv

qve ſumma imperia religione Chriſtiana priora extiterint, adeoqve in hoc liquido exprimendum fuerit, ſi qvid per eandem iſtis eſſet detrahendum. Quod ſi igitur religio Pontificia penitius inſpiciatur, adparet, eidem addictum Clerum in validiſſimum, ac ſummo artificio conſertum atqve compaginatum ſtatum coaluiſſe, cujus caput à compluribus jam ſeculis peculiarem ſibi ditionem poſſideat, eoque nomine Princeps civitatis ſit: cujus tamen poteſtas non intra hanc ſolam coërceatur, ſed & per alias civitates paria ſacra profitentes, ſeſe efficaciter diffundat. Nam ab eo quicquid eſt Sacerdotum, dependet, quorum cumprimis apud populum ubique magna eſt autoritas: idemque in ſolidum curam ſibi ſacrorum arrogat, quorum tanta in coṁovendis hominum animis vis eſt. Jam autem ſi quidquam alud, maximum eſt ſummis imperantibus præjudicium, ſi quis in ipſorum ditione habitans, imperio ſeſe eorum ſubtrahat, & ab externo Principe dependeat, imperiiq; civilis poteſtatē in ſe vel plane non agnoſcere, vel non ultra

quam placitum eſt, velit. Cum enim conditio ſtatuum inter ſe ſit ſatis lubrica, & infida, tantoque ſuſpectior, qvo propius iſti ſe mutuo contingunt, plusque communicationis invicem habent; manifeſtum eſt, ſi qui in medio aliquo ſtatu habitantes extranei cujuspiam ſtatus pars ſint, id paulo minus eſſe, quam ſi hoſtilia præſidia in noſtras arces inducantur, aut caſtra hoſtium in media noſtra ditione ponantur. Quod præjudicium eo gravius eſt, ſi ex ipſis Principum civiumque bonis ſumtus depromantur, qvibus ſtatus iſte extraneus ſit ſuſtentandus, iſtiq; opes ex ipſa civitate ſine fine ac modo cumulare integrum ſit, qvorum tamen nomine ad ſumtus Reipublicæ tolerandos immunem ſe prætendat. Ac ſi idem leges ferat, jubeatqve & vetet, etiam qvæ juſſis ſummorum imperantium repugnant, & ſi alio pœnæ genere non minus efficaci juſſa ipſius ſanciantur. Denique ſi idem directa aut obliqua via in ipſos ſummos imperantes imperii ſibi aut coërcitionis quid arroget. Nec minus iſta Cleri ab extraneo capite dependentia ingens

gens præjudicium civibus infertur, quorum fortunæ in lubrico ponuntur, ſi ſtatus iſtos inter ſe collidi contigerit; qui duobus dominis ſervire coguntur, aut inter duorum dominorum repugnantia imperia miſere diſtrahuntur; quibus ſuæ civitatis onera eo gravius incumbunt, quo majores opes immunium ſacerdotum aviditas abſorpſerit. Quibus denique duo tribunalia ſunt metuenda, ſacerdotum tribunali non minus terribili, quam Regum, id quod ſatis exemplo inquiſitionis conſtat. Talium cum in Proteſtantium Religione nihil deprehandatur, apud Pontificios autem iſta maniſeſtiſſima ſint, non injuſte ſolum, ſed & imprudenter faciunt Principes, qui Sacerdotum illecebris ad opprimendos cives ſacris Proteſtantium addictos ſeduci ſe patiuntur. Nam quod hiſce objicitur, alicubi per iſtos tumultus & bella civilia excitata, aut cum extraneis Principibus rationes fuiſſe implicitas, tanti non eſt. Talia enim citra culpam Religionis ex ipſa rerum converſione orta ſunt, quæ raro ſine gravi motu peragitur. Aut iſtorum origo ab atro-

citate adverſæ partis provenit, qvorum gladios ut à jugulis ſuis miſeri amoverent ab hiſce vis opponenda, aut qva propriæ vires nō pertingebant, undecunq; auxiliū circumſpiciendū fuit. Uti autem nefas eſt innoxiam ob religionem alteri vim intentare; ita religionis tuendæ cauſa vim opponere illis non nefas eſt, qvorum alias injuriam armis arcere inter vetita non habetur.

De jure reformandi.

§. 53. Supereſt ut diſpiciamus, penes quem ſit errores & abuſus, qui in Eccleſiā tam circa dogmata, quam mores aut regimen Eccleſiaſticū irrepſerunt, corrigere; ſeu quod eodem redit, penes quem ſit jus reformandi? Ubi id quidem manifeſtum eſt, ſi clerus de errore aut abuſu admonitus ultro ac citra moram & tergiverſationem eundē correxerit, reformatione alia non opus eſſe; ſicuti actio ſuperflua eſt, ubi debitor ultro præſtanda præſtat. Sed ſi clerus utut monitus iſtos emendare abnuat, aut moras & offucias objiciendo correctionē eludat; alterutrum neceſſariū eſt, ut vel nullū heic præter patientiā ſit remedium; vel ut ejusmodi abuſus & errores excutere ſit penes eos, quibus hi fraudi & præjudi-

judicio cedunt. Prius ſi quis aſſerere inſtituat; ei demonſtrandum fuerit, vel divinitus in clerum ejusmodi poteſtatem ἀνυπεύθυνον fuiſſe collatam, ut pro lubitu fidelibus inſultare, & quævis dogmata, etiam falſa obtrudere queat, ita ut his contra hiſcere integrum non ſit; vel fideles aſſenſum & voluntatem ſuam ultro cleri placito ſubjeciſſe citra omnem exceptionem, & plane irrevocabiliter, ut amplecti & tolerare velint, quicquid huic doctrinæ ipſis tradere, aut oneris imponere placeat. Quodſi talia aſſerere velle nimis impudens videatur; id demum reſtat, ut oſtendatur, clerum, & qui ejus caput ſe fert, nunqvam vel in doctrina, vel in moribus, aut regimine Eccleſiæ erraſſe. Cujus contrarium ita manifeſte ab integris Chriſtianorum nationibus demonſtratum eſt, ut à nobis in præſens qvid moveri ſupervacuū ſit. Unde contra cenſemus, ſi qvis error aut abuſus in Eccleſiam irrepſerit, per quem legitimum jus ſumorum imperantium ſublatum aut imminutum ſit, hiſce iſtum corrigere, ac reformare fas eſſe velut ex libertate naturali, qva iſti in excellenti gradu

gau-

gaudent, per quam propria autoritate præjudicia ſibi illata averruncare poſſunt. Etſi ne plebs ea reformatione offendatur, conſultum ſit eandem ſuper iſto abuſu, ac imperantium jure perſpicue edoceri. Idque multo magis faciendum, ſi error iſte vel abuſus ipſum quoque populum tangat. Tunc enim præſcitu & conſenſu univerſi populi reformatio commodiſſime ſuſcipi poteſt ac debet. Neque obſtat, qvod hoc modo communio abrumpitur cum illis, qvi erroribus & abuſibus priſtinis mordicus inhærent. Nam ſi qua eſt laceratæ Eccleſiæ culpa, ea hoc caſu non penes eos eſt, qui errores & abuſus abolent, ſed qui dominatus & lucri ſui cauſa iſtos corrigere abnuunt. Et nihil frequentius in vetere hiſtoria Eccleſiaſtica occurrit, qvam errorum manifeſtos ſua communione excluſiſſe. Sed nec illis, qui tali modo errores & abuſus reformant, rebellionis, aut defectionis crimen, vel ſimile quid exprobrari poteſt, aut debet. Nam rebellis eſt, qui legitimo alterius imperio in ipſum conſtituto ſe ſubtrahit. Sed qui jugo aut uſurpatio-

pationi alicujus ſe ſubducit, cui neque divinitus, neque per ultroneam ſubmiſſionem è liquida ſcientia profectam imperium in ipſum eſt quæſitum, præſertim ſi aliquod animæ periculum inde ipſi proveniat, juſtus conſcientiæ & libertatis ſuæ vindex eſt. Nunquam enim in aliqvem doctorem, aut Epiſcopum, aut cœtum certo loco definitum aliqvod tale imperium in reliqvos omnes fideles eſt collatum, ut ab ejus libidine hi citra ullum remedium, dependere cogantur. Et valde impudens eſt, qvod cœtus aliquis, v. g. Romanus ſibi vel ſoli, vel per eminentiam Eccleſiæ vocabulum & dignationem arroget, velut extra Eccleſiam ſint, qui extra Romani cœtus communionem exiſtunt. Nam Eccleſia Romana vel pro univerſali Eccleſia eſt habenda, vel pro particulari. Per Eccleſiam univerſalem juxta mentem ſacrarum ſcripturarum intelligitur univerſitas fidelium ubicunque terrarum degant, qvorum conjunctio unitate Dei, Salvatoris, baptiſmatis, fidei, ſalutis, definitur. Ab hac illi demum excluduntur, qvi hocce unitatis vinculum ab-

rumpunt,id eſt, qui Deum & Chriſtum abnegant,qui baptiſma rejiciunt, qui fidem habent à ſacris literis diſcrepantem ſaltem in præcipuis capitibus. Hæc quippe ſolum & genuinum fundamentum Catholiciſmi ſunt, non imperium aliqvod in omnes orbis terrarum Eccleſias conſtitutum,chimæræ ſimile, & quod rerum humanarum conditio adſpernatur. Cum igitur verum Dominum, verum baptiſma, veram & S.Scripturis conformem fidem, verum Deum & Patrem omnium habere poſſint, etiam qui nullum Eccleſiæ Romanæ in ſe imperium graves ob cauſas agnoſcunt ; patet pro univerſali Eccleſia Romanam non poſſe haberi ; adeoque poſſe membrum eſſe Eccleſiæ univerſalis, qui Eccleſiæ Romanæ dominatum, errores, & abuſus vel nunquam ſubierunt, vel agnitos exuerunt. Sed ſi pro particulari Eccleſia habetur Romana, ſicuti eſt, aut ſaltem eſſe debebat, (nam in præſens ea non ſimplex eſt Eccleſia, ſed ſtatus aliquis imperium religione coloratum per magnam Europæ partem exercens) non

ma-

magis pro rebellibus traduci poſſunt ; qui ab iſta diſceſſerunt , quam pro hominibus ratione deſtitutis , & inſanis, qui Ariſtotelis inſipida dogmata adſpernantur. Nam omnes fidelium cœtus , qui veram fidem profitentur , inter ſe æquales ſunt intuitu & capitis , JESU CHRISTI, & genuinæ indolis , & ultimi ſcopi. Et ſi Chriſtus promiſit , ſe vel in medio duorum aut trium fore , qui in nomine ipſius congregantur ; non eſt quod vel numeroſiſſimus & ſplendidiſſimus cœtus alteri minori ſeſe præferat. Abſurdum autem plane eſt , ſi in verbis iſtis Symboli , Credo unam " Sanctam , Catholicam , & Apoſtoli- " cam Eccleſiam , Romanæ ſectæ addi- " cti aliqvid ſibi præſidii poſitum putant. Nam niſi hic eſt ſenſus eorum verborum , Una tantum in teris eſt Ec- " cleſia Romana , & extra eam nulla , " ea quidem Pontificiis nihil proſunt : quem tamen ſenſum & verba ipſa , & ſana ratio , & ſacræ literæ , & experientia

 reſpuunt.

reſpuunt. De cætero Una tantum in terris eſt « Eccleſia, quia unus eſt Deus, unus Chriſtus, unum Baptiſma, una vera fides., Veritas enim per rerum naturam non poteſt eſſe niſi una; ſed error & falſitas ſine numero & modo eſt. Sed nec Romana Eccleſia aliquid peculiaris ſibi Sanctitatis arrogare poteſt, præſertim circa illa, ob quæ Proteſtantes ab eadem ſeſe diſſociarunt. Catholici vocabulum proprie dogma aliquod notat, non ſtatum aut imperium in omnes diffuſum, ita ut Catholica Eccleſia ſit, qvæ univerſa dogmata ſacris literis tradita amplectitur, nullo excepto: hæretica contra, qvæ aliqva qvidem dogmata in S. Scripturis tradita retinet (nam qvæ nulla plane talia agnoſcit, cœtus infidelium, & apoſtatatarum eſt,) ſed aliqva ibidem tradita vel negat, vel iisdem oppoſita docet. Igitur Romana Eccleſia Catholicæ vocabulum non prius ſibi vindicare poteſt, qvam liqvido demonſtraverit à ſe nihil Sacris Scripturis adverſum doceri. Nec ejusdem vocabuli, ſi qvæ eſt, dignationem Proteſtantibus detrahere poteſt, niſi contra oſtendatur,

tur, ab his dogmata S. ſcripturæ repugnantia defendi. Apoſtolica denique Eccleſia dicitur, " quia doctrinæ Apoſtolorum ſuperſtructa eſt. An autem immediate ab ipſis Apoſtolis plantatus ſit aliquis fidelium cœtus, an vero ab aliis viris iſtorum doctrinam hauſerit, ad veritatem Eccleſiæ nihil intereſt.

Num civibus absque Principe competat jus reformandi.

§. 54. Sed uti reformatio facile procedere poteſt, ubi tota civitas in eam ipſo cum ſummo imperante conſenſit: ita quæſtio remanet, quid liceat parti civium, ſi ſummi imperantes, univerſo clero aut majore ejus parte conſpirante, errores & abuſus agnoſcere nolint, vel etiam potentiam ſuam ad iſtos conſervandos accommodent? Vbi arbitramur, ſiquidem errores iſti fundamentum fidei directe, aut obliqua via convellant, fas eſſe errores iſtos agnoſcentibus à reliquorum ſeſe communione ſeparare, ubi hoſce erroribus ſuis pertinaciter inhærere conſtiterit, non obſtante contraria ſummorum imperantium, aut cleri ſententia. Cum enim cuilibet pro ſe cultus ſuus Deo ſit adprobandus, nec abſolute alteri curam animæ

ſuæ reſignare , aut hic ejusdem ſalutem iſti præſtare queat ; adeoque nullus Chriſtianus fidem ſuam abſolute in judicium Cleri , aut ſummorum imperantium reſolverit, ſed non niſi quatenus S.Scripturæ examuſſim congruerit: apparet, poſſe cives à communione etiam ſummi imperantis, infectiqve Cleri ſe disjungere , ſiquidem liquido demonſtrari ab ipſis poſſit, huncce in ſontico errore verſari. Collegium quippe Eccleſia eſt, cujus membra non imperio humano connectuntur , ſed unitate fidei orthodoxæ, quam qui deſeruerit, nullo amplius myſtico vinculo connectitur cum illis, qui in vera fide perſiſtunt. Sicuti nec conjunctio cum pluribus per ſe ad rationem ſalutis quid facit : ſed hoc quidem fine perinde eſt, multi , an pauci ſint fideles , ingentes , an modicos cœtus iidem conſtituant. Neque iſta ſeceſſione aliquid detrahitur juribus ſummi imperantis, cum præſupponamus , ſecedentes orthodoxam profiteri fidem, nec eidem adſuiſſe dogmata juribus ſummorum imperantium aliquid detrahentia. Nam nec propter

pter religionem inſtitutæ ſunt civitates, & Eccleſia non abiit in naturam civitatis, aut ab hac abſorbetur, qvando Princeps Chriſtianus factus eſt; nec eo ipſo hic dominus Eccleſiæ aut conſcientiarum factus eſt. Et ſi, non obſtante illa ſeceſſione, Principi ab iſtis omnia præſtētur, qvæ ex natura imperii civilis exigi poſſunt, aut debent, non habet iſte, qvod ulterius iſtorum conſcientias urgere præſumat. Et revera nihil intereſt ſummorum imperantium, an civis eandem cum ipſis fidem teneat, an minus; aut qvod nos præſupponimus, an eundem cum Principe errorem profiteatur; ſicuti id intereſt ejusdem, ne cives ipſius imperio deſerto in peculiares ſe cœtus civiles erigant. Etſi ne hoc quidem vinculum imperii excludit neceſſitatem conſervandi vitam & fortunas; puta ſi hoſtis ingruat, qui repellendo pares non ſint, eidem ſe dedere poſſint, abdicato priori Domino. Quantacunqve ergo autoritas Principis in Eccleſia fingatur, longe major eſt favor eorum, qui obtentu capitalis erroris à Principis reli-

religione & communione diſcedunt. Nam vitam pro Principe periculo exponere aut amittere , in laude poteſt eſſe ; ſed ut animam in ipſius reſpectum civis prodigat, nec iſte, ſi ſe agnoverit, poſtulabit; nec hic unquam tale quid annuet. Ergo quicquid mali hoc nômine civibus, ſaltem orthodoxis, & qui ad doctrinam ſuam è divinis Scripturis demonſtrandam parati ſunt, infertur à Principibus, id omne pro actibus injuſtis , illegitimisque eſt habendum. Quin nec eo ſolo nomine fas eſt Principi diſſentientes ab ipſo ad vertendum ſolum compellere. Equidem ut Princeps homini circa religionem errores foventi jus civitatis haut indulgeat, niſi inſignis Reip. utilitas diverſum ſvaſerit, nemo reprehenderit. Quin & ſi orthodoxus in civitatem heterodoxam non admittatur, injuria eidem haut inferetur: id enim jus civitatis ſui beneficii facere Princeps poteſt. Aſt eum, cui jus civitatis jam qvæſitum eſt, quiqve in ea ſedem fortunarum ſuarum collocavit, invitum, & ob religionem erroris haut legitime convictam, civitate ejicere,

quod

quod ſœpe cum maxima moleſtia & jactura conjunctum eſt, ingens injuria eſt. Quanquam idem cupientibus abnegari non debet, ſi quis infenſum Principem, aut atroces ſacerdotes, importunamque plebem, cultusque ſui turbata exercitia iſta migratione declinatum eat. Nec eſt, qvod qvis nobis occinat illud in Germania tritum dicterium; Cujus eſt " regio, illius & eſt religio. Nam id primo non " quadrat ad dogmata Pontificiorum, quæ omnem circa ſacra diſponendi poteſtatem Principibus abjudicant. Deinde à Proteſtantibus Principibus id fuit arreptum, ut eo plauſibilius Cæſaris autoritatem reformationi ipſorum intercesſuri protelare poſſent, velut ad Cæſarem nihil ſpectaret, qvid ipſi in ſua ditione agerent. Alias niſi veritatem religionis iidem præſupponere potuiſſent, jus territoriale non efficiebat, ut ipſis fas foret ſubjectos ad amplectenda falſa dogmata compellere. Sicuti & conſtat, id dicterium ab heterodoxis Principibus in orthodxos fuiſſe retortum, non ſine gravi præjudicio veræ religionis. Jgitur peccat Princeps,

qui civem ab ipſius religione diſſentientem, erroris non convictum, moleſtia afficit, modo hic de cætero in leges obſeqvii civilis nihil delinqvat. Cum autem neqve Principibus id officium injunctum ſit, ut qvalemcunqve religionem vi propagent, nec ipſorum interſit, qvid qviſqve credat, dummodo boni civis officio ſatisfaciat; & nihilominus eo nomine in cives tot immanitates à Principibus ingenio cætera non adeo feroci patratas fuiſſe, & adhuc patrari adpareat, magna mirandi cauſa foret, unde tanta hoſce veſania ſubire poſſet, ni iſta Eccleſiæ fata divinæ Scripturæ prædixiſſent. Sed nunc mirari deſinunt, qvi norunt, tantas illecebras fore proſtibuli Babylonici, ut etiam Reges terræ cum illa ſcortaturi ſint." Apocal. XVIII. 3. Aſt cui ignotum eſt, à meretricibus amaſios etiam ad fœdiſſima qvæqve & indigniſſima patranda pellici? Eo magis neceſſarium eſt, ut fideles magno ſtudio animum adverſus beſtiæ iſtius illecebras juxta ac terrores obfirment, & cum patientia expectent, qvouſqve Deus eidem, qvem per Prophetas ſuos

finem

finem prædixit, repræſentet. Quid autem conſilii capiendum ſit Principibus & populis liberis, qvi ſectam Romanam exuerunt, poſtqvam tam atrocia odiorum & immanitatis exempla ab eadem ſubinde edi conſpiciunt, ipſi etiam me non monente, ſi mens non læva eſt, intelligunt.

APPENDICIS

loco propter Argumenti cognationem
viſum fuit ſubnectere

ANIMADVERSIONES ad aliqva loca

è

POLITICA *contracta* ADRIANI HOUTUYN,

Quibus

De *Summorum imperantium civilium Poteſtate circa Sacra* tradit.

CUinam poteſtas circa Sacra in civitate, & qvousqve competat, qvæſtio eſt ardua, & qvam rite definiri generis humani quam maxime intereſt. Ac ſi ullibi beati ſunt pronunciandi, qui medium tenuere, heic ſane id locum habet, ubi tanto cum periculo in alterutrum extremorum impingitur, & conſcientiæ civium vel dominatui Pontificis Romani, vel libidini Principum ſubjiciuntur. Sed iſtum qui ſolidis armis oppugnatum ivere, & priori

priori & noſtro ſeculo reperti ſunt viri pietate & eruditione inſignes. Nunc ne in Scyllam incidant, qui Charybdin evaſere, providendum eſt. Equidem quod poteſtas divinitus aut conſenſu populi in Principes collata ſit, uti nemo ſanus convellere audebit; ita ne ampliorem debita ſibi poteſtatem arrogent Principes, ipſorum non minus, quam ſubjectorum intereſt: ne & ipſi injuſtis auſis conſcientias ſuas ſaucient, & cives eosdem patrum & tutelarium geniorum loco infenſiſſimos hoſtes experiantur. Cæterum qvæ in hocce extremum vergant, cum non pauca *Politicæ ſuæ contractæ* adſperſerit *Adrianus Houtuyn Ictus Belga*, ne per eadem in fraudem inducatur incauta juventus, cui libellum iſtum alicubi à Doctoribus publicis commendari percepimus, è re viſum fuit carptim qvædam annotare ad *Notas* ejusdem in §. LXIII. *ſeqq.* ne adoleſcentes diſcendi cupidi, dum Principum ſe jura aſſerere opinantur, in hos ea, qvæ Deus ſibi reſervavit, transſcribant, vel pretioſiſſimam libertatis particulam ingenti cum ſuo damno prodigant.

Js igitur, dum jura Principis enumerat, §. LXIII. ita pronunciat: *Sacra regit externa, & lege divina non definita.* Ratio deſumitur à *poteſtate generali, qvam initio imperii ſubmiſſio generalis tribuit,* ſeu quia circa talia initio conſtituti imperii cives voluntatem ſuam arbitrio imperantium ſubmiſere. Sed obſervandum primo, ſœpenumero externa tam arcto nexu internis jungi, ut ſi de iſtis aliter diſponatur, quam nexus iſte requirit, vel admittit, interna qvoqve non poſſint non alterari, & convelli. Cum autem *Adrianus* interna poteſtati Principis ſubducat, externa qvoque religionis eidem obnoxia eſſe nequeunt, qvatenus cum iſtis indivulſo nexu junguntur. Deinde *generalis* illa *ſubmiſſio* limitanda eſt è fine inſtitutarum civitatum, qvi eſt defenſio ab injuriis, qvæ homini ab homine imminere poſſunt; ſic ut hautqvidqvam omnia, qvæ in naturali libertate privati juris ac diſpoſitionis erant, in imperantes translata ſint, ſed ea duntaxat, quæ ad iſthunc finem faciunt. Ad eum finem cum religio non pertineat, haut quoqve

qve cenſendum, futuros cives religionem ſuam voluntati Principum ſubmiſiſſe. Ac ſane in aprico eſt, plurimos dari actus, quos cives jure naturalis libertatis exercent, nulla à Principibus dependentia. Unde ſubmiſſio civium circa religionem non alio modo facta intelligi debet, quam ut & cives eandem Principum cum ſua ſententiam circa religionem præſuppoſuerint, & non alia externa eorundem arbitrio detulerint, quam qvæ ad internum Numinis cultum indifferentia ſunt. Deniqve *ordo*, & *confuſionis evitatio* non primarius eſt civitatum & imperii inſtituti finis, ſed quatenus ille ad internam civitatis tranquillitatem facit; hæc ejusdem perturbationem producit: qui effectus non qvibusvis ineſt, qvæ civium libertati naturali relinquuntur.

Ad N.2. notandum, partem religionis proprie non eſſe, qvod ſacerdotes imperio civili circa actus ad ejusdem diſpoſitionem ſpectantes ſint ſubjecti. Animadverſionem qvoqve merentur illa verba: *Regit Eccleſiam Princeps Chriſtianus*, *qva con-*

congregata accipitur, & perſonæ unius vicem ſuſtinet. Eſt enim tunc Eccleſia ſocietas, etiam civilis, corpus civile & politicum, & autoritate ac vi publica roboratum, quam ei civitas accommodat, & in eadem cum cæteris Collegiis & corporibus conditione, quo ſenſu in territorio ſuo Rex caput Eccleſiæ. Tot errores, quot verba heic agnoſcunt, qui diſcrimen Eccleſiæ & civitatis intelligunt. Neque ſequitur; Rex regit civitatem, qvæ civibus conſtat Chriſtianis; ergo etiam regit Eccleſiam eodem modo & jure, quo civitatem, eodemqve ſenſu caput Eccleſiæ, quo civitatis dici poteſt. Eſt ſane Eccleſia ſocietas, ſed non corpus civile, autoritate & vi publica roboratum, ſed quæ ſubſiſtentiam ſuam principio longe ſublimiori debet, & quæ non uti cætera collegia dependentiam ſuam à civitate habent. Violenta quoque nimis eſt extenſio dictorum *Tit.* II.9. *Coloſſ.* III.20.22. *Roman.* XIII.3.4. I *Petr.* II.14. velut actiones circa Sacra ab imperio Principum dependeant, & ipſa verba. Multa dehinc miſcentur, quæ notam merebantur; ſed cum eadem extra ſcopum noſtrum ſint, in præſens transmittuntur.

N.13.

N.13. craſſum nimis eſt, qvod *ob imperium circa Sacra ſummis poteſtatibus nomina Paſtorum, Miniſtrorum, Præconum DEI, Epiſcoporum, Pontificum, Sacerdotum, Apoſtolorum* tribuenda putat. Qua autoritate, & quo ſenſu? Nam aliud plane muneris eſt, ob qvod Principes *cuſtodes utriusq; tabulæ legis, nutricii, defenſores Eccleſiæ* audiunt. Deniqve ſi *judicium definitivum* ſolius *Eccleſiaſtici ordinis viris*, an *præſcriptus* circa ſacra *ordo legi divinæ congruat*, non eſt concedendum, excluſis reliquis Eccleſiæ membris; non ideo ſequitur, idem judicium ſolis Principibus competere, ac judicium, conſenſumqve reliquorum Eccleſiæ membrorum nullo eſſe loco habendum.

Severam qvoqve meretur caſtigationem §.LXIV. *Princeps religionem publicam facit quamlibet.* Ratio ſubnectitur oppido quam frivola: quia *publicum omne à poteſtate publica, & externum eſt.* Ain vero, *Adriane,* penes Principem eſſe quamlibet religionem facere publicam, ſeu cuicunq; religioni ipſi videatur, publici exercitii autoritatem concedere, cæteris omnibus

eandem denegare, aut eosdem plane civitate ejicere? Nec quamnam religionem alteri præferre debeat Princeps, ullam regulam ſtatuis, præter nudam ſuam libidinem? *Qvamlibet*, inquit; etiam idololatricā, ſuperſtitioſam, falſam, fictam? Unde credemus Principibus tam invidioſam poteſtatem delatam? Non ſane divinitus; aut oſtendatur autoritas divina. Neq; per ſubmiſſionem civium, cum neq; civitates religionis cauſa ſint inſtitutæ iſta utiq; poſteriores; neq; ejusmodi poteſtas ad finem civitatum obtinendum faciat. Neq; vero in naturali libertate cuiq; fas eſt *quamlibet* religionem profiteri; & ſi maxime id fas foret, non tamen ideo alteri ſtatim quælibet religio obtrudi poteſt. Eſt quoq; cum grano ſalis accipienda diſtinctio religionis *internæ* & *externæ*, ne quis putet, fas eſſe profiteri quamcunq; religionem externam, dummodo interna recte ſe habeat. Falſum porro; omne publicum, id eſt, qvod palam & aperte exercetur, in civitate habere originem à poteſtate publica, ſeu à ſummo imperio civili; cum plurima civibus exercere palam fas ſit ex liber-

tate

tate naturali,aut quia Deus juſſit, & poteſtatem indulſit. Falſum quoq; eſt, omne externum à poteſtate civili dependere;cum ex mente *Adriani* etiam dogmata de rebus divinis, & confeſſiones fidei verbis conceptæ inter externa referenda ſint.Fallitur porro *Adrianus*, ſi id conſequi putat;quia imperantibus curæ eſſe debet,ut cives rectis opinionibus de Deo velut ſtatore juſtitiæ imbuantur ; igitur penes eundem eſſe circa revelatam religionem pro lubitu dſponere,& quamlibet è religionibus,quæ revelationi ortum ſuum adſcribunt,publicam facere.Craſſius fallitur,quando *religionem publice roboratam quantumvis falſam ad tranquillitatem imperii conferre* aſſerit.Poteſt quippe hunc effectum habere ad ſalutem animæ producendam inepta & inſufficiens:falſæ deDeo & divinis eundem effectum habere non poſſunt.Et vel tanti non eſt tranquillitas publica, ut ejusmodi falſis ſententiis procuretur , vel æque aut magis commode per veras obtineri poteſt. Præſertim cum quæ vulgus dementare poſſunt fraudes , cordatos fallere ſaltem perpetuo

nequeant. Riſum continere ægre poſſunt aruſpices, aruſpicem cum vident: Majore quoque autoritate, quam *Adriani Hutini* opus eſt, ut credamus, *fidei*, quæ ipſi *religio privata* dicitur, à Principibus independens, non obeſſe, quam quisque religionem publicam cum Principe & civitate profiteatur, cui *electionem liberam* relinquit, *qualem ſub præſidio ſuo, & in terris ſuis* velit, nimirum Japonicam, Braminicam, Muhammedanam, Judaicam, Chriſtianam, & ex illis, quæ Chriſtianum nomen præ ſe ferunt, quæ maxime ipſi ad palatum ſit. Jd vero credat Judæus Apella. Sane magnæ parti Chriſtianorum intolerabile fuit viſum, Pontificem Romanum ſummum fidei Chriſtianæ arbitrium ſibi arrogare, qui tamen non niſi unam religionem orbi Chriſtiano obtrudere inſtituit, nempe in qua rationes ſui Dominatus fundari ſentit. Jam, ſi diis placet, Principibus datur facultas *quamlibet* religionem publicam faciendi, qvorum cum plures dentur à ſe invicem non dependentes, pari jure ab ipſis diverſiſſimæ religiones, ac ſibi invicem repugnantes publi-

ca autoritate donabuntur,quarum ſingulæ, ni fallor,veritatis elogio ſuperbire volent. Cui proximum eſt, ut cum partes hujus juris ſint, receptam publice religionem tueri, mutare, corruptam punire, eandem religionem unus Principum pari jure defendat, quam alter non pejore deletum eat, & eandem profeſſos ſupplicio mactet. Jta demum juxta Evangelium *Adriani Hutini* publicæ religionis non major erit vis & autoritas,qvam ſtatuti alicujus poſitivi, qvod pro lubitu ſuo Princeps in ſua ditione condit,abrogatqve.

Jn §.LXV.*conſtitutionem* eorum,qvi *religionem docent,*& *ſacram functionẽ faciunt,velut Miniſtrorum publicorum* in ſolidum Principibus transſcribit. Atqui nec in Rep. Judaica,divinitus conſtituta,id jus penes Reges fuit. Nec Apoſtoli autoritatem docendi à Regibus habuere,Doctores quam maxime publici, qui ad omnes docendos miſſi erant. Nec probari poteſt,Eccleſiam, qvando Principes eidem acceſſere, id jus conſtituendi Miniſtros in ſolidum iisdem contuliſſe; utut non negemus,in-

ſignes heic partes Principum eſſe. Neq; vero id,quod *Adrianus* intendit, ratio ab ipſo allata evincit, à *parentum cura circa ſalutem liberorum* deſumta:cum autem Principes ſint publici quidam patres,*curam præcipuam & officium eſſe debere eorundem ſaluti æternæ proſpicere*. Nam præterquam qvod titulus *patris patriæ* ſit metaphoricus; alio ſane fundamento officium paternum,alio Regium nititur,& alterius generis cura liberis ætate tenera, qvam integro alicui populo debetur.Nec ut æternam ſalutem civibus procurent Principes,imperia in hos ſunt collata,cui obtinendæ alia media,aliamq; viam Deus præſcripſit. Et quanquam non negemus ab iſta quoq; cura non alienum debere eſſe Principem; ea tamen non eousq; debet porrigi,ut per alia media, quam divinitus præſcripta & probata expromatur,& quæ genio religionis quadrant;multo minus,ut ideo Principibus tribuamus poteſtatem civibus obtrudendi religionẽ etiam extraneam quamlibet; cum non quælibet religio ſaluti animarum ſit proficua. Sicuti & Abrahamus ille credentium pater filiis ſuis non præſcribebat religionem pro lubitu, ſed præ-

præcipiebat cuſtodire viam Domini, divinis revelationibus deſignatam & confirmatã. Neq; ex dicto Pauli 1.*Tim.*II.2.exſculpſeris, *præcipuum imperantis eſſe ita ſubditos regere, ut vitam non tantum in honeſtate, ſed & pietate degant,* quæ via ad ſalutẽ eſt æternam. Nam pro quibus vota concipere jubebat tunc Apoſtolus, ethnici erant Principes, queis nulla adeo pietatis cura erat, cũprimis Chriſtianæ: ſed ſufficiebat, ſi tranquillitatem præſtarent civibus, qua data pietas ex aliis principiis proventura erat. Sicuti Auguſtus Cæſar *otia dabat* Poëtæ, ut Muſis ſuis vacare poſſet; nec ideo tamẽ Principi circa impetus numeroſæ eloquentiæ, aut leges artis Poëticæ negotii qvid erat. Porro craſſa nimis eſt iſta Philoſophia: *ſub Principe Chriſtiano, qui ſubjectos omnes Chriſtianos habet, eadem res civitas, eadem Eccleſia eſt, ſola conſiderata qualitatum diverſitate: civitas, qua homines cives complectitur; Eccleſia, qua eosdem fideles.* Aſt num leve hoc diſcrimen cenſet *Adrianus*, qvod diverſæ qualitates morales producunt, quas diverſæ obligationes, diverſaq; jura comitantur? Sane ubi capitis eadem eſt natura ac poteſtas, idemque jus, diverſæ qualitates

reli-

reliquorum membrorum non impediunt, qvo minus idem cœtus videri poſſit ſub hac aut illa qualitate. Sic ubi Rex omnes cives ſuos in expeditionem eduxit, quibus ipſe ducem ſe præbet, civitas, & exercitus ille eſſentiali aliquo diſcrimine haut differet. v. g. Populus Jſraëliticus ſub duce Joſua in expeditione verſans idem erat cum eo, qvi poſt terram Canaan pacatus ſub eodem judice inſidebat. Enimvero Eccleſia & civitas, utut ex iisdem hominibus conſtet, non interna duntaxat campage differunt, ſed & Princeps hautquaquam pari jure caput Eccleſiæ dici poteſt, atqve civitatis. Nam huic quidem ſummo cum imperio præeſt, nemini obnoxius. Sed Eccleſiæ caput Chriſtus eſt, qui eam verbo ſuo per Doctores Eccleſiæ annunciato regit, ſic ut ne vicaria quidem gubernandi poteſtas Regi ſit conceſſa. Et qvanquam Chriſto data ſit poteſtas omnis in cœlo & in terrá; haut tamen dici poteſt, eodem modo ipſum eſſe caput civitatis, ſicut eſt Eccleſiæ. Sequitur; *ſi non tota ſit civitas Chriſtiana, Eccleſiam eſſe multitudinem credentium in republica.* Atqui etiam ubi

ubi omnes cives ſunt Chriſtiani, Eccleſia eſt in republica, velut collegium in civitate. Falſum autem, quod ſubnectit; quo ſenſu & Eccleſia pro civitate dicitur. Nam *Actor.* XIV. 23. κατ' ἐκκλησίαν, & *Tit.* I. 5. κατὰ πόλιν non ſunt ſynonyma: ſed poſterius dictum eſt ita ſupplendum: per ſingula oppida, in qvibus Eccleſia dabatur. A militia & juſtitia, qvæ & ipſæ ſunt in republica, non valet conſeqventia. Nam militaris functio, & juſtitiæ adminiſtratio ex ipſo fine civitatis profluit; non item cura Eccleſiæ. Et Principi gladius belli ac juſtitiæ commiſſus eſt, non munus prædicandi Evangelium. Unde duces bellici, & judices Regio muneri ſubordinantur, non item miniſtri Eccleſiæ, qvi & ideo proprie miniſtri Principis & reip. non ſunt, ſed miniſtri Chriſti & Eccleſiæ. *Functionis aſsignatio ad religionem internam nihil pertinere* dicitur. Atqui ſi fides eſt ex auditu, & credere nemo poteſt, niſi prædicetur, etiam illi, qui auditum prædicatione Evangelii movent, non ſane nihil ad religionem internam facient, velut inſtrumenta, qvæ diſpenſant Evangeliũ, ex cujus auditu fides oritur. Falſum eſt, ipſis Principibus non-Chriſtianis jus eſſe

Dd eli-

eligendi Miniſtros: Nam *poteſtatem æqualem eſſe.* Atqui Princeps non Chriſtianus,etſi cives Chriſtianos ſuo ſub imperio habeat, & Eccleſiæ in ſua ditione domicilium præbeat, in ipſam tamen Eccleſiam nihil poteſtatis habet, quippe extra eandem conſtitutus. Falſo qvoq; dicitur,poſtquam Principes facti ſunt Chriſtiani,vocationem Miniſtrorum non amplius pendere ab Eccleſia,*non ſecus atq; homo,poſtquam alieni juris & imperii factus, ſui juris eſſe deſinit.* Nam Princeps dum Chriſtianus fit, non fit dominus Eccleſiæ, ſed potius ſubjectus fit capiti Eccleſiæ Chriſto· nec eo ipſo omnia jura Eccleſiæ in ſe transfert,ſed de illis pro rata participat, niſi qua ultro Eccleſia in ipſum qvid contulit, qvod qvidem recte in unum conferri potuit. Et quare non poſſit Eccleſia ſub Principibus Chriſtianis eſſe *cum eo effectu, ut perſonæ vicem ſuſtinere queat,& agere aliquid, & decernere per majorem partem,qvod jus faciat ſaltem* ex conſenſu? Nam inter civitatem ſeu ſtatum, & multitudinem diſſolutam datur tertium,nempe collegium, in quo vis cogendi, ſummaq; poteſtas neceſſaria non eſt. Poſſunt hæc illuſtrari tali exemplo:

emplo: Eſt in civitate ſocietas ſeu Collegium mercatorū: qvod ſtatutis & directoribus conſenſu membrorum conſtitutis regitur. Jn id quoq; collegium adſcribi vult Princeps collata certa ſorte. Sane hac adſcriptione idem non adquirit abſolutam diſpoſitionem in collegium, ejusq; bona; ſed potius ſtatutis ſe collegii ſubjicit, nec aliqua præ reliquis prærogativa gaudet, niſi quā magnitudo ſortis collatæ, aut præſtatio aliqua extraordinaria, vel conſenſus cæterorū ultro tribuit: nec in eo collegio conſideratur ut Princeps, ſed ut mercator. Etſi heic aliquod ſit diſcrimē, quod collegium mercatorū ne exiſtat prohibendi jus ſit Principi, Eccleſia ne extet nō item. Jmperite dicitur; *Eccleſiā, plebē ſeu multitudinē in perſona Principis eſſe; inde Principis perſonā publicā, q. d. populicam, per quam loqui totus populus cenſetur.* Nam hæc tantum admitti poſſunt de civitate, non de Eccleſia, quæ multum inter ſe differunt. Jn civitate verum eſt: quod Principi placuit, legis habet vigorem, ac pro ratione voluntas eſt. Jdem poteſtatis in Eccleſia tribuere Principi veſanum, & prope blasphemum. Et Principe in hæreſin aut errorem prolapſo,

qvis totam Eccleſiam hæreticam aut erroneam dixerit? Niſi forte & Principes infallibiles declarare vult. Igitur ubi electio Miniſtrorum à Principe fit, dicendum eſt id fieri ab ipſo jure Eccleſiæ eidem ab hacce delato. Quod idem dicendum eſt, ſi electio fiat ab Epiſcopo, aut Presbyterio. Neqvaqvam autem dicendum; ſi electio fiat ab univerſa Eccleſia, eam fieri jure per Principem conceſſo.

Idem cum conceſſiſſet, *paſtoralem functionem extra perſonæ alicujus ſpecialem conſiderationem quoad emanationem muneris à ſumma poteſtate non pendere*, ſed neceſſariam eſſe, & ab ipſo Chriſto inſtitutam; mox tamen §. LXVI. tradit: *Miniſterij functio actualis actus publicus & externus eſt, qualis imperio ſubjicitur.* Quod perinde eſt ac ſi dixeris; Matrimonium divinitus eſt inſtitutum, ſed à Principe dependet, ut actualiter illud iniri qveat. Quid ſi igitur Principi in mentem veniat prohibere, ne quis actualiter miniſterio fungatur, cui bono tunc paſtoralis ſeu miniſtralis functio erit? Ferri quoq; non poteſt, quod ſequitur: Electio voluntatis eſt: igitur & nulla addita ratione revocari electio,

& pa-

& paſtores citra famæ læſionem poſſunt.

In §. LXVII. nego, Nabuchodonoſori *non defuiſſe jurisdictionem*, qvo minus viros ſtatuam adorare adſpernantes ſupplicio afficere poſſet. Non enim actus jurisdictionis exercetur à Principe, ubi adverſus divina jura malum civi infertur; ſed hoſtilis & tyrannicus. Sicuti Achatus Rex, qvando Nabodo vineam ſub judicii forma ereptum ibat ſubornatis falſis teſtibus, non magis jurisdictionem exercuiſſe cenſendus eſt, qvam tutor tutelam, ſi pupillam ipſe ſtupraverit. Aſt longe diſpar actus eſt, quando idem Nabuchodonoſor gravi ſub pœna vetat, ne qvis Deum Judæorum blasphemet. Hoc enim qvin recte fieri poſſit, dubitandum non eſt. Pergit: Petrum, Joannem, Stephanum, Paulum, ipſum Salvatorem coram Synedrio, Felice, Feſto, Cæſare, Pilato *ſtetiſſe*, & jurisdictionem eorum agnoviſſe, nec ejusdem *incompetentiam* excepiſſe. Quid mendoſius dici poteſt? An Petrus & Joannes jurisdictionem Synedrii circa doctrinam Chriſtianam agnoverunt, qvi vetanti ne docerent in nomine Jesu in os proteſtati ſunt, ſe ipſis non

parituros? *Actor.* IV. 19. 20. An Stephanus agnovit jurisdictionem Synedrii, quando dicit; duri cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper reſiſtitis Spiritui S.? Neqve vero Paulus, & martyrum infinita multitudo ſtatim agnovere jurisdictionem Principum & Magiſtratuum, quando ad eorum tribunalia protracti innocentiam ſuam demonſtratum ivere, cum vel nemo ſupereſſet, ad quem provocarent, vel ad condemnationē ſufficeret, ſi Chriſtianos ſe profiterentur. Et omnes tamen eorū defenſiones ad duo capita redierunt, ut vel negarent crimina per calumniam ſibi objecta, vel profeſſionem Chriſtianæ religionis ab arbitrio imperii civilis haut dependere etiā profuſione ſangvinis ſui aſſererent. Et qui Magiſtratus confeſſores ad tribunalia ſua protractos abſolverunt, reipſa nil aliud pronunciarunt, quam iſtā cauſam ad jurisdictionem ſuam non ſpectare. Mirum vero hominem, qui Jurisconſultum ſe ferat, aliquid legitimam jurisdictionē redolens in actione Pilati agnoſcere poſſe, quæ merum eſt latrocinium publicum, & *poteſtas tenebrarum Luc.* XXII. 53. & ubi ne hilum quidem legiti-

giti-

gitimi proceſſus fuit obſervatum. Sicuti & manifeſtum eſt, infinities in cauſis religionis limites legitimæ jurisdictionis civilis, proceſſusqve juridici fuiſſe violatos; ut ad exempla provocare fruſtra ſit. Aſt paſtorem & Miniſtrum Eccleſiæ munere ſuo abuſum, aut non rite functum qvando Princeps caſtigat, ea pœna non provenit à ſumma jurisdictione civili, ſed à jure Eccleſiæ in Principem collato. Qui autē ideo plectitur, qvod *populum turbulentis concionibus adverſus majeſtatem incitavit, aut ad non obedientiam mandatis civilibus vel reſiſtentiam proritavit*, is ob religionem Chriſtianam non plectitur. Falſum porro eſt, Eccleſiæ, ut tali, proprie dictam *jurisdictionem* competere. Falſum non minus, facultatem diſponendi & exercendi, quæ cuivis Eccleſiæ competit, civilem eſſe, etiam intuitu *applicationis*, & *exercitii efficacis*, & *effectus publici*. Scilicet enati ſunt omnes iſti errores *Hutmi* è confuſione civitatis cum Eccleſia; quas niſi accurate diſtingvamus, & Eccleſiam à Civitate plane abſorberi admittamus, parum eſt Pontificis Romani jugum excuſſiſſe;

cum

cum non minus dura Eccleſiam conditio manere poſſit, ſi omne jus circa Sacra citra exceptionem in arbitrium Principis conferamus, cujus *officium, & finem imperii Hutinus* noſter *bonum ſpirituale, id eſt, ſalutem populi æternam,* invita Scriptura & ratione comminiſcitur: qviqve cogere non poſſit, ut circa Sacra profiteri publice cogamur, quicquid illius libido ferat, utut iſthoc quam maxime à ſententia animi noſtri diſcrepet. Nam id ferre utcunq; poſſum, ut non exprimam veritatem, quam animo conditam foveo. Sed ut hujus contrarium præ me feram, id vero & nefas & intolerandum eſt. Et ipſi *Hutino* contradicit Conſtantini M. effatum, qvod ab eodem laudatur; *Omnes quidem ſubjectos ſuos Chriſtianos eſſe optaſſe, neminem autem coëgiſſe.* Iſte enim non ſolum interna eorum ſenſa non coëgit, qvod & ſupra vires ipſius poſitum erat; ſed nec qvem coëgit, ut Chriſtianum ſe publice profiteretur, ſi ultro non vellet. Sed & non obſcure ſibi ipſe contradicit Noſter, dum ſupra verba qvoqve imperio civili ſubjecit, nunc eadem eximit, dum profatur: *Quid ſi verbis prolata fides ad notitiam*

ve-

venerit imperantis? Non culpa peccatum, ſed ignorantiæ error dicendus eſt, quem emendare non pœnæ, (quæ mentem non illuminat) ſed doctrinæ virtus eſt. Aſt qui diſcrimẽ novit Civitatis & Eccleſiæ, id eſt, Status, & Collegii, ei facile erit extricare, qvæcunq; iſte de jurisdictione & legiſlatione Eccleſiaſtica, velut ſolis Principibus competente miſcet.

Circa §.LXIX. obſervandum, non dubium quidem eſſe, quin à ſummis imperantibus vis legum civilium tribui queat legibus tam naturalibus, quam poſitivis, dum nempe ab iſtis conſtituitur, ut juxta haſce in foro civili jus dicatur, & earundem transgreſſores pœna plectantur. Sicuti & penes eosdem eſt judicare, quibusnam talium legum eam vim tribui Reipublicæ expediat, & qvasnam ſoli ſingulorum conſcientiæ relinqui ſatius ſit. Aſt id plane abſurdum eſt, ſummis imperantibus id qvoq; poteſtatis tribuere, ut ipſis *prophetiis* autoritatem tribuere publicam queant. Nam neq; ſalvifica, neq; hiſtorica fides ab autoritate Principum pendet, qvi pœnis intentatis efficere poſſunt, ut quis faciat, non ut credat. Unde ſi conſtet, pro-

phetiam aliquam à divino inſtinctu profectam, non plus fidei per autoritatem Principis eidem accedet, quam ſi idem declaret, Ciceronem bonum eſſe autorem Latinitatis. Quodſi autem prophetia ambiguæ aut ſubleſtæ ſit fidei, & Princeps credat, ſe accommodata ſua autoritate plenam eidem fidem conciliare poſſe, delirare judicabitur. Nec ſaniora ſunt, quæ de libris Novi Inſtrumenti in univerſum tradit; *Regulis ibi propoſitis Chriſtum & Apoſtolos non potuiſſe accommodare vim publicam, eoq; eas manſiſſe privatas, donec ad fidem converſi Principes eas ſibi recepere, ex quo regulæ factæ publicæ, dum ipſi ſervari pro legibus voluere.* Atqui regulis & dogmatibus à Chriſto promulgatis ab imperio civili efficaciæ nihil accedere poteſt, nec eorum indoles fert, ut pœnis civilibus ſanciantur; cum voluntatem Chriſti non impleat, qui ob metum pœnæ civilis eam externis ſignis exprimit.

Paria reponenda ſund ad §. LXX. Uti enim Scriptura Sacra, & religio Chriſtiana ab imperio civili autoritatem ſuam haut mutuatur, quæ etiam hoc fremente & renitente divinitus introducta

ducta fuit:ita nec interpretatio dictorum Scripturæ, de quorũ genuino ſenſu ambigitur,per imperia definiri poteſt & debet. Nec ad ſolum Principem ea res pertinet,ſed ad totam Eccleſiam,aut ab ea mandatum habentes: etſi ab ejusmodi diſceptatione Princeps,velut inſigne Eccleſiæ membrum, excludi non poſſit aut debeat. Cæterum non parum profani ſapiunt iſta: *Ipſi Chriſto cum novæ legis condendæ inter ſuos poteſtatem haberet, interpretandi jus deeſſe non potuit. Ipſe autem cum apud eos, qui Chriſtum eſſe inficiabantur, vel non noverant, ut alius quivis privatus habitus, civili etiam ſubjectus judicio & imperio fuerit, palam eſt, & leges ipſius, & Doctrinam, & interpretationem, ut vim definitivam & publicam haberent, à civili poteſtate pependiſſe.* Quantulum deeſt ut dicatur, etiam efficaciam muneris mediatorii ab imperio civili pependiſſe? Et quam abſurdum eſt dicere; *Doctrinam Chriſti habere vim publicam à civili poteſtate apud eos, qui Chriſtum inficiantur?* Item, *Si imperantes Chriſtiani fuiſſent tempore Chriſti,*

eum amplexi velut filium DEI. *& verum Deum, ejusq́; ſe judicio ſubmiſiſſent, interpretatio penes Chriſtum ex ſubmiſſione manſiſſet.* Apage iſta commenta, quæ vel ſenſus communis adſpernatur. Eodem jure diceres; DEO imperium in homines competere non niſi ex ſubmiſſione Principum, qui ſi iſtum adſpernentur, ad privatam conditionem (horreſco referens,) Deus redigetur. Jn eo minus tetrice delirat *Adrianus*, dum ethnicis qvoq; Principibus jus definiendæ controverſiæ inter Chriſtianos tribuit, nimirum cœco de coloribus. Porro nihil minus, quam de interpretatione Scripturarum qværebatur, quando Chriſtiani quondam ad tribunalia Ethnicorum trahebantur; nec unquam ita inſanierunt Chriſtiani, ut ſuper controverſiis fidei infideles conſulerent. Poſtquam ad horum tribunalia inviti fuere protracti, excipienda fuit ſententia, qualem libido iſtis ſuggeſſit, cum nullum remedium ſuppeteret iſtorum vim declinandi. Eum porro effectum Noſter facultati interpretādi & definiendi articulos fidei tribuit, ut pro talibus publice ſint habendi, iisq; obedientia à ſingulis ejus religionis *externa*

de-

debeatur , ſeu qua quis defungi qveat externa profeſſione, verbisq; & geſtibus, quæcunq; intrinſeca ſit animi ſententia, ita ut ad iſthanc cogi quoq; poſſint. Atqui cum externus geſtus, & ſine mente ſonus, à quo animi ſententia diſcrepat, nihil minus ſit, quam religio, non video, cui fini fictitia ejusmodi poteſtas Principibus tribuatur , niſi ut plures prætextus ſint innoxios vexandi. Sane Chriſtus per ejusmodi coactionem doctrinam ſuam propagari noluit, ut ſi vel maxime veri ſint articuli illi à Principibus promulgati, incongruum ſit eorum profeſſionem pœnis civilibus ſanciri. Sed ſi falſi iidem ſint, tum vero miſerrimum eſt, ideo plecti, quia errorem præ te ferre noluiſti. Niſi præclarus hic fructus tam egregiæ doctrinæ eſt, ut ea poſita omnium tyrannorum perſecutiones juſtæ , & velut à legitima poteſtate profectæ declarari queant. Sane quæ nunc in Gallia omnium bonorum commiſerationem juxta atq; execrationem provocant , *Hutino* patrono facillime defenduntur. Quam argutum autem eſt illud: *ſit autem, ut coactio ſit licita, obedire non ſit licitum.* Atqui ſani homines id quidem manifeſtam

contradictionem involvere agnoſcunt, ac poteſtatem legitimam imperandi, & obſequii obligationem ſibi mutuo reſpondere judicant. *Adrianus* tamen hoc ſibi acumine placet, ut ſimul Principi poteſtatem porrigat cives ſuos obtentu religionis opprimendi, nec his tamen obligationem imponat quam veram agnoſcunt religionem abnegandi. Aſt ſi obedire nō eſt licitum, quare alteri me cogendi jus tribuitur, niſi ut via ſternatur plus juſto imperioſis Principibus ad cives vel in neceſſiatem peccandi conjiciendos, vel malis innoxios affligendos? Nam iſtis violentis fidei, vel potius hypocriſeos & ſuperſtitionis propagatoribus, & armatis miſſionariis non ſufficit, ut cives diſſentientes taceant; neque his ſemper fugæ facultas eſt; quanquam & id ipſum miſerum ſit penatibus ſuis expelli: ſed profitenda publice ſunt tanquam vera, à quibus ſententia animi abhorret, & quæ vel idololatriam, vel ſuperſtitionem, vel fabulas ſapiunt, vel ab æruſcatoribus ad aucupandas pecunias inventa in aprico eſt. Ac ipſe *Hutinus* paulo poſt pronunciat:

De

De articulo fidei ſalutaris ſi facta definitio ſit, adquieſcere ei nemo tuto poteſt , niſi qui ipſe privato ſuo judicio legi divinæ congruentem probaverit. Sin diſſentientem, adquieſcere in ea non debet , ne propriam ipſe , quo indignius nihil homine Chriſtiano, fidem ſuam inficietur. Atqui ſi indignum eſt homine Chriſtiano fidem ſuam inficiari , h. e. *privata fide & conſcientia contentum eſſe, tacitum apud ſe quid velit ſentire, linguæ ſuæ non indulgere , actiones externas refrænare,* (quod paulo ante diſſentientibus manifeſta contradictione ſvaſerat) cur Principi talis poteſtas attribuitur , per quam homini Chriſtiano aut iſta indignitas, aut graviſſima mala ſint ſubeunda ? Quam quidem poteſtatem , quantum mihi conſtat, primus commentus eſt *Thomas Hobbes* , peſſimus ſententiarum Theologicarum autor ; ſed quam recoquere , ac tanto adparatu tueri nemini hactenus ſat impudentiæ fuit, præterquam *Adriano Hutino*: Jd quod eo magis mirandum ab homine, qui in ea Republica vivit, à cujus rationibus

ejus-

ejusmodi doctrina quam maxime abhorret; ac ubi adulationis ſuæ nullum præmium expectare poterat. Neq; enim Ordinibus Provinciarum Unitarum unquam in mentem veniet ejusmodi ſibi poteſtatem arrogare. Sicuti nec Principum ullus puto tantopere ineptiet, ut Miniſtri Eccleſiæ, aut ſacerdotis functionem publicam obire velit: qvod jus neſcio qvo fine tam ſolicite Principibus Noſter vindicat. Niſi forte apud adoleſcentes admirationem ſibi pollicetur, ſi multa à ſenſu communi abhorrentia iſtis propinare norit. Jſta in præſens ad *Hutinum* annotaſſe ſufficiat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cum non minus dura Eccleſiam conditio manere poſſit, ſi omne jus circa Sacra citra exceptionem in arbitrium Principis conferamus, cujus *officium, & finem imperii Hutinus* noſter *bonum Spirituale, id eſt, ſalutem populi æternam,* invita Scriptura & ratione comminiſcitur: qviqve cogere non poſſit, ut circa Sacra profiteri publice cogamur, quicquid illius libido ferat, utut iſthoc quam maxime à ſententia animi noſtri diſcrepet. Nam id ferre utcunq; poſſum, ut non exprimam veritatem, quam animo conditam foveo. Sed ut hujus contrarium præ me feram, id vero & nefas & intolerandum eſt. Et ipſi *Hutino* contradicit Conſtantini M. effatum, qvod ab eodem laudatur; *Omnes quidem ſubjectos ſuos Chriſtianos eſſe optaſſe, neminem autem coëgiſſe.* Iſte enim non ſolum interna eorum ſenſa non coëgit, qvod & ſupra vires ipſius poſitum erat; ſed nec qvem coëgit, ut Chriſtianum ſe publice profiteretur, ſi ultro non vellet. Sed & non obſcure ſibi ipſe contradicit Noſter, dum ſupra verba qvoqve imperio civili ſubjecit, nunc eadem eximit, dum profatur: *Quid ſi verbis prolata fides ad notitiam ve-*

venerit imperantis? Non culpæ peccatum, ſed ignorantiæ error dicendus eſt, quem emendare non pœnæ, (quæ mentem non illuminat) ſed doctrinæ virtus eſt. Aſt qui diſcrimē novit Civitatis & Eccleſiæ, id eſt, Status, & Collegii, ei facile erit extricare, qvæcunq; iſte de jurisdictione & legislatione Eccleſiaſtica, velut ſolis Principibus competente miſcet.

Circa §. LXIX. obſervandum, non dubium quidem eſſe, quin à ſummis imperantibus vis legum civilium tribui queat legibus tam naturalibus, quam poſitivis, dum nempe ab iſtis conſtituitur, ut juxta haſce in foro civili jus dicatur, & earundem transgreſſores pœna plectantur. Sicuti & penes eosdem eſt judicare, quibusnam talium legum eam vím tribui Reipublicæ expediat, & qvasnam ſoli ſingulorum conſcientiæ relinqui ſatius ſit. Aſt id plane abſurdum eſt, ſummis imperantibus id qvoq; poteſtatis tribuere, ut ipſis *prophetiis* autoritatem tribuere publicam queant. Nam neq; ſalvifica, neq; hiſtorica fides ab autoritate Principum pendet, qvi pœnis intentatis efficere poſſunt, ut quis faciat, non ut credat. Unde ſi conſtet, pro-

E e phe-

phetiam aliquam à divino inſtinctu profectam, non plus fidei per autoritatem Principis eidem accedet, quam ſi idem declaret, Ciceronem bonum eſſe autorem Latinitatis. Quodſi autem prophetia ambiguæ aut ſubleſtæ ſit fidei, & Princeps credat, ſe accommodata ſua autoritate plenam eidem fidem conciliare poſſe, delirare judicabitur. Nec ſaniora ſunt, quæ de libris Novi Inſtrumenti in univerſum tradit; *Regulis ibi propoſitis Chriſtum & Apoſtolos non potuiſſe accommodare vim publicam, eoq; eas manſiſſe privatas, donec ad fidem converſi Principes eas ſibi recepere, ex quo regulæ factæ publicæ, dum ipſi ſervari pro legibus voluere.* Atqui regulis & dogmatibus à Chriſto promulgatis ab imperio civili efficaciæ nihil accedere poteſt, nec eorum indoles fert, ut pœnis civilibus ſanciantur; cum voluntatem Chriſti non impleat, qui ob metum pœnæ civilis eam externis ſignis exprimit.

Paria reponenda ſund ad §.LXX. Uti enim Scriptura Sacra, & religio Chriſtiana ab imperio civili autoritatem ſuam haut mutuatur, quæ etiam hoc fremente & renitente divinitus introducta

ducta fuit:ita nec interpretatio dictorum Scripturæ, de quorũ genuino ſenſu ambigitur,per imperia definiri poteſt & debet. Nec ad ſolum Principem ea res pertinet,ſed ad totam Eccleſiam,aut ab ea mandatum habentes: etſi ab ejusmodi diſceptatione Princeps,velut inſigne Eccleſiæ membrum , excludi non poſſit aut debeat. Cæterum non parum profani ſapiunt iſta : *Ipſi Chriſto cum novæ legis condendæ inter ſuos poteſtatem haberet , interpretandi jus deeſſe non potuit. Ipſe autem cum apud eos , qui Chriſtum eſſe inficiabantur , vel non noverant, ut alius quivis privatus habitus , civili etiam ſubjectus judicio & imperio fuerit , palam eſt , & leges ipſius , & Doctrinam, & interpretationem, ut vim definitivam & publicam haberent , à civili poteſtate pependiſſe.* Quantulum deeſt ut dicatur , etiam efficaciam muneris mediatorii ab imperio civili pependiſſe? Et quam abſurdum eſt dicere;*Doctrinam Chriſti habere vim publicam à civili poteſtate apud eos , qui Chriſtum inficiantur ?* Item, *Si imperantes Chriſtiani fuiſſent tempore Chriſti,*

 eum

eum amplexi velut filium DEI & verum Deum, ejusq; ſe judicio ſubmiſiſſent , interpretatio penes Chriſtum ex ſubmiſſione manſiſſet. Apage iſta commenta, quæ vel ſenſus communis adſpernatur. Eodem jure diceres; DEO imperium in homines competere non niſi ex ſubmiſſione Principum, qui ſi iſtum adſpernentur, ad privatam conditionem (horreſco referens,) Deus redigetur. Jn eo minus tetrice delirat *Adrianus*, dum ethnicis qvoq; Principibus jus definiendæ controverſiæ inter Chriſtianos tribuit, nimirum cœco de coloribus. Porro nihil minus, quam de interpretatione Scripturarum qværebatur, quando Chriſtiani quondam ad tribunalia Ethnicorum trahebantur; nec unquam ita inſanierunt Chriſtiani, ut ſuper controverſiis fidei infideles conſulerent. Poſtquam ad horum tribunalia inviti fuere protracti, excipienda fuit ſententia, qualem libido iſtis ſuggeſſit, cum nullum remedium ſuppeteret iſtorum vim declinandi. Eum porro effectum Noſter facultati interpretãdi & definiendi articulos fidei tribuit, ut pro talibus publice ſint habendi, iisq; obedientia à ſingulis ejus religionis *externa*

de-

debeatur , ſeu qua quis defungi qveat externa profeſſione,verbisq; & geſtibus, quæcunq; intrinſeca ſit animi ſententia, ita ut ad iſthanc cogi quoq; poſſint.Atqui cum externus geſtus, & ſine mente ſonus,à quo animi ſententia diſcrepat,nihil minus ſit,quam religio,non video,cui fini fictitia ejusmodi poteſtas Principibus tribuatur , niſi ut plures prætextus ſint innoxios vexandi. Sane Chriſtus per ejusmodi coactionem doctrinam ſuam propagari noluit, ut ſi vel maxime veri ſint articuli illi à Principibus promulgati,incongruum ſit eorum profeſſionem pœnis civilibus ſanciri. Sed ſi falſi iidem ſint,tum vero miſerrimum eſt,ideo plecti,quia errorem præ te ferre noluiſti.Niſi præclarus hic fructus tam egregiæ doctrinæ eſt, ut ea poſita omnium tyrannorum perſecutiones juſtæ , & velut à legitima poteſtate profectæ declarari queant. Sane quæ nunc in Gallia omnium bonorum commiſerationem juxta atq; execrationem provocant , *Hutino* patrono facillime defenduntur. Quam argutum autem eſt illud: *ſit autem,ut coactio ſit licita, obedire non ſit licitum.* Atqui ſani homines id quidem manifeſtam

contradictionem involvere agnoſcunt, ac poteſtatem legitimam imperandi, & obſequii obligationem ſibi mutuo reſpondere judicant. *Adrianus* tamen hoc ſibi acumine placet, ut ſimul Principi poteſtatem porrigat cives ſuos obtentu religionis opprimendi, nec his tamen obligationem imponat quam veram agnoſcunt religionem abnegandi. Aſt ſi obedire nõ eſt licitum, quare alteri me cogendi jus tribuitur, niſi ut via ſternatur plus juſto imperioſis Principibus ad cives vel in neceſſiatem peccandi conjiciendos, vel malis innoxios affligendos? Nam iſtis violentis fidei, vel potius hypocriſeos & ſuperſtitionis propagatoribus, & armatis miſſionariis non ſufficit, ut cives diſſentientes taceant; neque his ſemper fugæ facultas eſt; quanquam & id ipſum miſerum ſit penatibus ſuis expelli: ſed profitenda publice ſunt tanquam vera, à quibus ſententia animi abhorret, & quæ vel idololatriam, vel ſuperſtitionem, vel fabulas ſapiunt, vel ab æruſcatoribus adaucupandas pecunias inventa in aprico eſt. Ac ipſe *Hutinus* paulo poſt pronunciat:

De

De articulo fidei ſalutaris ſi facta definitio ſit, adquieſcere ei nemo tuto poteſt, *niſi qui ipſe privato ſuo judicio legi divinæ congruentem probaverit. Sin diſſentientem, adquieſcere in ea non debet*, *ne propriam ipſe*, *quo indignius nihil homine Chriſtiano, fidem ſuam inficietur.* Atqui ſi indignum eſt homine Chriſtiano fidem ſuam inficiari, h. e. *privata fide & conſcientia contentum eſſe, tacitum apud ſe quid velit ſentire, linguæ ſuæ non indulgere*, *actiones externas refrænare*, (quod paulo ante diſſentientibus manifeſta contradictione ſvaſerat) cur Principi talis poteſtas attribuitur, per quam homini Chriſtiano aut iſta indignitas, aut graviſſima mala ſint ſubeunda? Quam quidem poteſtatem, quantum mihi conſtat, primus commentus eſt *Thomas Hobbes*, peſſimus ſententiarum Theologicarum autor; ſed quam recoquere, ac tanto adparatu tueri nemini hactenus ſat impudentiæ fuit, præterquam *Adriano Hutino.* Jd quod eo magis mirandum ab homine, qui in ea Republica vivit, à cujus rationibus ejus-

ejuſmodi doctrina quam maxime abhorret; ac ubi adulationis ſuæ nullum præmium expectare poterat. Neq; enim Ordinibus Provinciarum Unitarum unquam in mentem veniet ejuſmodi ſibi poteſtatem arrogare. Sicuti nec Principum ullus puto tantopere ineptiet, ut Miniſtri Eccleſiæ, aut ſacerdotis functionem publicam obire velit: qvod jus neſcio qvo fine tam ſolicite Principibus Noſter vindicat. Niſi forte apud adoleſcentes admirationem ſibi pollicetur, ſi multa à ſenſu communi abhorrentia iſtis propinare norit. Iſta in præſens ad *Hutinum* annotaſſe ſufficiat.

NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE